

Szent-ivanij  
resolutiones erroneo-  
rum Dogmatum in  
Fide.

449.



AN

RES

Prodecim  
um Dogm  
orum

AUTH

MARTIN

è S

Ex Opuscu

Opusculum

TUM LIC

COL

in Officina Joann

Apud Jo



# ANALYSIS

*Set*

## RESOLUTIO

Duodecim præcipuorum erroneo-  
rum Dogmatum in Fide, moder-  
norum A catholicorum.

AUTHORE REV. PATRE

MARTINO SZENT-IVANY

è Societate JESU.

Ex Opusculis Polemicis ejusdem  
Authoris.

Opusculum Polemicum Nonum.

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

---

COLONIÆ AGRIPPINÆ

In Officina Joan. Wilhelmi Friessem p. m. am Hoff.  
Apud Joan. Everhardum Fromarc,

ANNO MDCCIV.

Syst. Th. III. 449

<sup>2</sup>Be

1372.500 01



DD. S O D A L I B V S  
Marianis B. MARIÆ V.

Annos multos, & perpetuam  
felicitem.

**E** Volvente se in finem anno pri-  
ori, cùm animum sollicitaret  
electio strenæ spiritualis, post Calen-  
das Ianuarias inter DD. Sodales  
Marianos pro more distribuendæ,  
inopinato se offert libellus anno  
proximè elapso Tyrnaviæ impres-

A 2

lus,

sus , atque à materiæ præstantia  
 ac vel maxime à clara sua rarâque  
 methodo, proponendi veritates æ-  
 ternas in rebus fidei mirificè com-  
 mendatus ; idcirco haud incon-  
 gruum fore judicavi , si post mul-  
 toties datos libellos asceticos, libel-  
 lus hic offerretur, qui & aptus  
 huic tempori, & utilitati tam pro-  
 priæ quàm alienæ serviens, videba-  
 tur sæpius rediturus in manus legen-  
 tium, & rerum variarum tum brevi-  
 tate, tum dignitate materiæ, animos  
 non ingrato argumento affecturus.  
 Accipite itaque eum vos DD. Ec-  
 clesiastici, vos enim estis legio mili-  
 tum Christi, vos arx in Ecclesia Dei  
 munitissima, undique prospiciens  
 ad incolumitatem regni Dei, & oc-  
 casio-



casiones omnes illius proferendi  
 avidè rapiens, post media in hunc  
 finem plurima serviet non modicè  
 opusculum hoc polemicum hac  
 potissimùm bellorum tempestate,  
 quâ nos Catholici, si unquam aliàs,  
 A catholicis permixti vivimus, &  
 cum hoste, aperto Marte non rarò  
 congregimur, ex quo velut ex instru-  
 cto abundè armamentario nova si-  
 cebit arma & tela & hastas de-  
 promere, in hostes Ecclesiæ validis-  
 simè evibranda. Agite Christiani-  
 milites, estote ad reprimendos ho-  
 stium conatus fortes, & ad propa-  
 gandam Romanam Religionem  
 infracti prorsus zelotes. Ita vovet

N. N.

A 3

Ana-



Analysis, seu Resolutio XII. præci-  
puorum Erroneorum Dogma-  
tum A catholicorum ino-  
dorni Sæculi.

PROLO QVIVM.

**P**ER *Analysim* hîc intelligimus, con-  
tinuatas ex al quo falso Dogmate  
illationes, & consequentias legitimè,  
ac infallibiliter deductas, per absur-  
da, vel contradictiones, quæ ex eo-  
dem manifestè sequuntur, ac inferun-  
tur, ità, ut qui tale Dogma tenet, vel  
illa absurda, & contradictiones illas  
admittere necessariò debeat, vel  
Dogma illud falsissimum esse fateri  
cogatur. Pro firmitate autem hujus  
*Analysis* statuimus duo solidissima  
fundamenta, quæ ab omnibus sanæ  
men-

mentis admittuntur, & admitti debent, utpote lumine naturæ nota. Quorum primum sit, illud omnium Dialecticorum: *Dici de omni, & dici de nullo*, hoc est: quidquid in universali propositione asseritur & affirmatur, seu prædicatur, ac verificatur de illius subjecto, idem asseri, & affirmari, ac prædicari, & verificari debet de omnibus aliis subjectis particularibus in eodem subjecto propositionis universalis, formaliter contentis. Et quidquid negatur cum veritate de eodem, debet negari etiam de omnibus particularibus subjectis formaliter sub eo contentis. Ex. gr. Si hæc affirmativa propositio universalis: *Omnis homo est rationalis, vel omnis homo currit*, est vera, debet etiam hæc particularis propositio esse vera: *Ergo & Petrus, qui est homo, est animal rationale; Ergo & Petrus, qui est homo, currit.* Si inquam verum est, quod omnis

A. 4 homo

homo fit animal ratione, & quòd  
 omnis homo currat; Et rursus: si vera  
 est hæc negativa universalis propo-  
 sitio: *Nullus homo est lapis; vel, nullus ho-*  
*mo currit,* debet esse etiam vera hæc  
 particularis: *Ergo nec Petrus, qui est ho-*  
*mo, est lapis: Ergo nec Petrus qui est ho-*  
*mo, currit,* ita ut si hæc particulares es-  
 sent falsæ, etiam illæ universales pro-  
 positiones esse falsæ.

Alterum fundamentum est hoc:  
 Quidquid affirmatur vel negatur  
 cum veritate de aliquo, propter cer-  
 tam rationem formalem, id debet af-  
 firmari, vel negari de omni eo, cui ea-  
 dem omnino ratio formalis conve-  
 nit. Sic, quia vera est hæc propositio:  
 Angelus est creatura, quia est produ-  
 ctus ex nihilo; ita ut *productio ex niki-*  
*lo,* sit ratio formalis, cur Angelus sit  
 creatura; infertur legitimè, quòd &  
 Anima rationalis sit creatura. Siqui-  
 dem hæc eadem ratio formalis ei-  
 dem

dem omnino convenit. Et rursus  
quia ex eo verè asseritur, quòd Ange-  
lus non fuerit ab æterno, quia est  
creatura, optimè inferitur, quòd nec  
anima rationalis fuerit, aut existiterit  
ab æterno, ex eadem ratione formali.  
His præmissis, accipiam pro Analyfi.



A 5

SY-

SYNOPSIS

DOGMATVM,

Quæ hoc Opusculo continentur.

DOGMA I.

Falsum, A catholicorum modernii  
Sæculi.

*Nihil fide divinâ est credendum, nisi quod est in scriptura sacra clarè expressum; & ideo negandum est Purgatorium, & neganda quoque Transubstantiatio panis & vini in Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, quia nulla clara mentio est Purgatorii, & talis transubstantiationis in scriptura sacra.*

2. Prius Dogma ajunt sic esse limitandum. Quod nihil sit fide divinâ credendum, nisi quod est clarè in scriptu-

*ra Sacra expressum, vel quod ex claro Scripturae textu per legitimam ac infallibilem consequentiam inferitur.*

3. *Nulla traditiones Ecclesiae sunt observanda, sed omnes tanquam inventiones humane rejicienda.*

4. *Vniuscujusque proprium Kriterion seu privati spiritus judicium sufficit ad interpretandam, ac intelligendam Scripturam sacram.*

5. *Peccata omnia sunt equalia, & ea omnia mortalia, seu quae merentur aeternam damnationem.*

6. *Sola incredulitas hominem damnat. Ita Lutherus, Calvinus, Beza, & Confessio Anglicana.*

7. *Nulla nostra bona opera, esto sint elicitata vel imperata ab homine iustificato, & ex gratia Dei, quae nobis datur ex meritis Christi, sunt meritoria caelestis gloriae, aut gratiae, vel alicujus alterius praemii supernaturalis.*

8. *Omnia nostra opera sunt peccata. Ita*

*Lutherus, Calvinus & alii Novatores.*

9. *Christus non tantum secundum suam Divinitatem, sed etiam secundum suam humanitatem est ubique. Ita Lutherani, ob quod etiam Ubiquitarii seu Ubiquistae dicuntur.*
10. *In Eucharistia non est verè, & propriè ac realiter, & substantialiter corpus ac sanguis Christi. Ita Calviniani & Zvingliani.*
11. *Liberum Arbitrium in homine non datur, sed est figmentum in rebus, & Titulus sine re (ut ait Lutherus, in assertionem articuli 36.) Quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare mali aut boni. Idem sensit Calvinus lib. 2. Institutionum cap. 23. §. 8 Nimirum omnia fieri necessario, nihil liberè.*
12. *Ecclesia à Christo fundata, & per Apostolos, propagata fuit vera Christi Ecclesia, una, Sancta, Catholica & Apostolica, sine ulla macula aut errore.*



rore in Doctrina fidei, & hac ipsa dis-  
 cebatur etiam Romana Ecclesia, dura-  
 vitque aliquot primis Saculis, ac  
 mansit sana ac integerrima doctrina  
 in rebus fidei, postea tamen defecit: ac  
 rursus per Lutherum & Calvinum  
 est reformata.

A P P E N D I X.

*Dubia cujusdam Evangelici hominis in  
 sua fide scrupulizantis, quae sibi cupit  
 à suis Pastoribus & Theologis funda-  
 mentaliter resolvi & reponi.*



DOGMA.

## D O G M A I.

**Falsum, Acatholicorum modernii  
Sæculi.**

*Nihil fide divinâ est credendum, nisi quod est in scriptura sacra clarè expressum; & ideo negandum est Purgatorium, & neganda quôque Transubstantiatio panis & vini in Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia, quia nulla clara mentio est Purgatorii, & talis transubstantiationis in scriptura sacra.*

**A** *Nalysis, seu Resolutio.* Si hæc ratio formalis sufficit, ad negandum Purgatorium, & transubstantiatione n panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia, quia Purgatorii, & talis transubstantiationis nulla fit mentio clara in scriptura Sacra, Ergo nec credenda est con-  
sub-

Substantialitas in Divinis Filiū cum  
 Patre, quia hujus consubstantiali-  
 tatis nulla fit mentio clara in Scriptu-  
 ra Sacra. *Si hoc?* Ergo neque quod in  
 divinis sint tres personalitates distin-  
 ctæ realiter inter se. Ergo neque,  
 quod Spiritus Sanctus sit DEUS. Er-  
 go neque quod una realiter essentia  
 sit in Divinis. Ergo neque, quod sit  
 unus DEUS, & tres Personæ in  
 DEO. Ergo neque quod detur San-  
 ctissima Trinitas: Quia nec Personarum  
 Divinarum, nec Divinitatis Spi-  
 ritūs sancti, nec Essentiæ Divinæ rea-  
 liter unus cum tribus Personalitati-  
 bus, nec Sanctissimæ Trinitatis est  
 clara mentio in Scriptura sacra sub  
 his terminis. Atqui hæc omnia sunt  
 falsa & absurda, ex ipsorum Luthera-  
 norum, & Calvinistarum Confessio-  
 ne: Ergo falsum est dogma illud quod  
 tenent, nihil esse fide Divinâ creden-  
 dum, nisi quod est clarè in Scriptura  
 Sacra

Sacra expressum. Si enim vel unica propositio particularis affirmativa sub subjecto universalis negativæ propositionis contenta sit vera, universalis negativa est falsa. Aliàs enim duæ propositiones formaliter sibi contradictoriæ, essent veræ, quod est impossibile. Sed maneamus adhuc in eadem propositione, quòd nihil sit fide divinâ credendum, adeoque pro Eidei Dogmate tenendum, nisi quod est clarè in Scriptura Sacra expressum, quam propositionem Adversarii pro verissima habent. Jam sic per illationes, & consequentias infallibiles arguo, & sequentia infero:

*Primò.* Ergo neque hoc ipsum Dogma fidei est credendum: *quòd nihil sit fide Divinâ credendum, nisi quod sit clarè in Scriptura Sacra expressum.* Hæc enim ipsa propositio, nullibi est in sacra Scriptura clarè expressa. Ergo neque *Secundò:* quòd sola fides sufficiat

ficiat ad salutem. Ergo neque *Tertio*: quòd quatuor tantum sint vera, & & Canonica Evangelia, & quòd ab illis ipsis Evangelistis, quorum nomina præferunt, sint conscripta. Ergo neque *Quarto*: quòd Epistolæ Apostolorum sint Canonicae, & ab ipsis Apostolis conscriptæ, & quòd non sint supposititiæ. Ergo neque *Quinto*: quòd bona opera nostra non sint utilia, & necessaria ad salutem. Ergo neque *Sexto*: quòd omnia nostra bona opera sint peccata. Ergo neque *Septimo*: quòd omnia peccata sint æqualia. Ergo neque *Octavo*: quòd DEI præcepta servari non possint. Ergo neque *Nono*: quòd Christus sit ubique etiam secundum humanitatem. Ergo neque *Decimo*: quòd Corpus Christi, sit *In, cum & sub* pane Eucharistico. Hæc enim omnia, nullibi sunt clarè in scriptura Sacra expressa. Atqui hæc omnia enumerata sunt Dogma-

ta

ta fidei modernorum Acatholico-  
rum: ergo habent aliqua pro Dogma-  
tibus fidei, quæ non sunt clarè in Scri-  
ptura Sacra expressa; vel falsissimum  
est eorum illud fidei Dogma, quòd  
nihil sit fidei Divinæ credendum, &  
pro fidei Dogmate habendum, nisi  
quod est clarè in Scriptura sacra ex-  
pressum.

Sed videamus, & inquiremus, an hii  
hodierni Novatores, qui se pro illu-  
minatis tenent, & titulis Evangelico-  
rum, & Reformatæ Religionis, vell  
Puritanorum ( & cur non etiam Epi-  
stolicorum? ) temerè gloriantur, non  
solum illa pro Dogmatibus fidei ha-  
beant, quæ non sunt clarè in Scriptu-  
ra Sacra expressa, sed neque illa cre-  
dant, quæ sunt clarè in Scriptura Sa-  
cra expressa, & inveniemus talia esse  
plurima. Cujusmodi sunt sequentia:  
Et primò, in Scripturis Sacris clarè est  
expressum: quòd *Mandata ejus gravia*

non

non sint. Adversarii tamen id non credunt, sed dicunt ea esse gravissima, imò observatu impossibilia. *Secundò*. Scripturæ sacræ clara verba sunt: *Date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. A catholici tamen moderni id non credunt, quòd per Eleemosynam, & alia bona opera mundemur à peccatis. *Tertiò*: Scriptura clarè testatur, quòd in altera vita, *DEVS redditurus sit unicuique mercedem suam secundùm opera ejus*: Et quidem iis, qui secundùm *Patientiam bona opera, gloriam, & honorem, & incorruptionem: querunt, vitam aeternam*. Roman. 2. v. 7. A catholici moderni id non credunt, dicentes bona opera nostra nullo modo esse meritoria vitæ aeternæ. *Quartò*: In scriptura clara verba sunt ipsius Salvatoris. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matt. 19 v. 17. A catholici moderni id non credunt: dicentes: ad consequendam vitam æ-

ter-

ternam non est necessarium servare mandata DEI, hoc enim ajunt esse impossibile; sed sufficere fidem solam, quâ quis credit se esse prædestinatum ab æterno ad vitam æternam; vel se esse pro certò salvandum per merita Christi. Imò Lutherus sermone de Moyse ait: Decalogus nihil ad Christianos; de quo Vittacherus Lutheranus Scriptor sic habet: *Hic Articulus Luthero certè dignissimus, quia summam veritatem, & consolationem continet.* Et Calvinus de vera Ecclesiæ reformatione, Paginâ 319. *ut liberae (inquit) sint conscientia à metu, & terrore mortis, ipsam quoque DEI Legem abrogare oportet.* Ita hi Libertini, & ad omnia seclera viam pandentes. Quintò: S. Paulus 2. Thess. 2. v. 14. Hæc scribit: *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem (hoc est vivâ voce) sive per Epistolam nostram.* Moderni A catholici

non:



non credunt traditiones per sermo-  
nem esse servandas, sed tantum illas,  
quæ sunt per Epistolas. *Sextò*. Idem S.  
Paulus 1. ad Tim. 3. v. 15. clarè testatur,  
*Ecclesiam DEI esse columnam, & firma-  
mentum veritatis*, quia scilicet in fide  
errare non potest. Novatores id non  
credunt, sed ajunt Ecclesiam DEI, seu  
à Christo fundatam, non solum non  
fuisse talem columnam, & firmamen-  
tum veritatis, sed re ipsâ in multis à  
veritate aberrâsse. *Septimò*: Scriptura  
sacra clarè dicit Jacobi 2. v. 24. *Ex ope-  
ribus justificatur homo, & non ex fide  
tantum*. Novi hi anti-Evangelici è  
diametro ajunt: *Non ex operibus justifi-  
catur homo, sed ex fide tantum*. *Octavò*.  
S. Paulus clare ait 1. ad Tim. v. 3. *DEVS  
omnes homines vult salvos fieri, & ad  
agnitionem veritatis venire*. Calvinistæ  
id non credunt, sed dicunt; quòd  
DEUS ab æterno voluerit, & præde-  
stinaverit aliquos ad damnationem

æter-

æternam, ante omnem prævisionem  
 eorundem demeritorum *Nono*. Clara  
 verba sunt Scripturæ Sacræ, quòd *qui*  
*Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut E-*  
*thnicus, & Publicanus.* Matth. 18. v. 17.  
 Moderni Acatholici id non credunt;  
 temerè siquidem se ab ea separârunt,  
 & contra eandem rebelles se præsti-  
 terunt *Decimò*. Clarissima planè sunt  
 verba illa Christi de Eucharistia di-  
 centis: *Hoc est corpus meum.* Calvinistæ  
 his verbis Christi non credunt, sed  
 ajunt tantùm esse figuram & signum  
 Corporis Christi. Lutherani autem  
 pariter non credunt, quòd sit Corpus  
 Christi simpliciter, sed quòd sit *In,*  
*cum, & sub* Eucharistia. *Vndecimò*. S.  
 Paulus ad Rom. 14. ait: *Bonum est non*  
*manducare carnem.* Calvinistæ ajunt,  
 bonum est semper manducare car-  
 nem, neque unquam ab esu carnium  
 abstinere. Ita sentiunt illi, quorum  
**DEUS** venter est. *Duodecimò*. Clarissi-

ma

ma verba Christi sunt: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit regnum calorum.* Calvinistæ dicunt: Etiam si quis non fuerit renatus ex aqua, & Spiritu sancto, intrabit in Regnum Cœlorum: Quia baptismus non est de necessitate mediæ ad salutem, seu ad ingressum Regni Cœlorum. Hinc igitur patet, quomodo hi *Quinti Evangelii Præcones* imponant Populo dicentes: quòd nihil prædicent, vel doceant, nisi quod est clarè in Scriptura Sacra expressum, cum nec illa omnia teneant, quæ sunt clarissimè in Scriptura Sacra expressa, & aliqua teneant, quæ non sunt clarè in Scriptura expressa. Quamobrem aliqui ex Adversariis videntes hoc Dogma suæ Fidei universaliter subsistere non posse, illud limitant, juxta sequens Dogma *Decimotertiò.* Scriptura sacra expressè ait, *apud DEVM nihil impossibile esse.* Calvinistæ dicunt,

cunt, Christi Corpus non esse verè,  
& realiter in Eucharistia, quia hoc est  
impossibile, ut DEUS mutet panem  
in Corpus, & Vinum in Sanguinem  
Christi; & ut idem Corpus sit in plu-  
ribus simul locis, nempe in Cœlo, &  
in tot consecratis partibus panis, &  
hostiæ.

## D O G M A II.

*Prius Dogma, ajunt, sic esse limitandum.*

*Quod nihil sit fide divinâ creden-  
dum, nisi quod est clarè in Scriptura  
sacra expressum, vel quod ex claro  
Scripturae textu per legitimam ac in-  
fallibilem consequentiam infertur.*

**S**It ita. Jam sic : Hæc ipsa conse-  
quentia, quam tu deducere te pu-  
tas infallibiliter ex aliquo claro Scri-  
pturæ textu. *Quod sit vera & legitima,*  
non habetur clarè in scriptura Sacra

expressum, & tamen tu credis id, quod per illam infertur esse de fide divina. Ergo jam credis aliquid fide divinâ, quod non est clarè in Scriptura sacra expressum. Ergo falsum erit quòd nihil fide divinâ credas, nisi quod est clarè in Scriptura sacra expressum. Deinde si tu Lutherane ex illis verbis sacræ Scripturæ: *Ecce ego vobiscum sum ad consummationem Sæculi.* Matth. 28. v. 20. vel illis: *Vbi duo, vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum.* Matt. 16. v. 20. Inferas, ergo Christus est ubique, etiam secundum humanitatem. Et hanc illationem dices esse de fide divina. Ergo etiam Calvinista, Si ex illis verbis Scripturæ sacræ inferat: *Ascendit (Christus) supra omnes cælos.* Ad Eph. 4. v. 10. vel ex illo Actorum cap. 1. v. 11. *Hic IESVS qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet (in die Iudicii) quemadmodum vidistis eum euntem in*  
B
Cælum.

*Cælum.* Ergo Christus secundum humanitatem suam non est ubique, erit etiam de fide, adeoque duæ propositiones contradictoriæ erunt de fide. Ergo & illa Arianorum ex illis verbis Christi: *Pater major est me.* Joan. 14. v. 28. Ergo filius in divinis est minor Patre, erit de fide. Ergo & illa Eunomianorum ex illis verbis Joannis Baptistæ de Christo : *qui post me venturus est, ante me factus est,* Joan. 1. illatio? Ergo Verbum, seu Filius DEI est creatura, erit de fide. Ergo & illa Anabaptistarum ex illis verbis: *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. 16. illatio, Ergo antequam quis baptizetur prius debet credere : Ergo infantes, qui actum fidei non possunt elicere, utpote necdum usum rationis habentes, minimè sunt baptizandi: ergo & illa Manichæorum ex illis verbis S. Pauli ad Philipenses 2. v. 7. de Christo: *in similitudinem hominum factus*

*etus*

Etus est, & habitu inventus ut homo. Ergo Christus non re ipsa homo, sed solum assumpsit formam & figuram humani corporis: ergo & Marcionistarum ex illis verbis ejusdem S. Pauli I. ad Corinth. 15. v. 29. *Alioquin quid faciunt qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt*, illa illatio: ergo, & mortui sunt baptizandi. Atque hæ omnes illationes, & consequentiæ licet à quibus inferantur, & inferebantur, putabantur esse optimæ, legitimæ, ac infallibiles, nihilominus sunt falsæ, adeoque nequaquam de fide divina: ergo nec tua, mi Lutherane & Calvinista, deductio, seu illatio ex claro aliquo textu Scripturæ, licet tu eam judices esse legitimam, & infallibilem, erit de fide divina. Neque ostendere poteris cur tua illatio debeat esse de fide, & non illorum, æquè enim non habetur expressè in Scriptura sacra tuam consequentiam esse legiti-

mam , ac infallibilem , ac illorum.  
 Quod si autem dixeris tuam conse-  
 quentiam & illationem infallibilem  
 connexionem medi termini habere  
 cum extremis in præmissis ; illorum  
 verò minimè, idem dicent illi de tua  
 illatione , quòd scilicet non habeat  
 connexionem infallibilem cum ex-  
 tremis in præmissis, sed illorum. De-  
 mùm esto tu clarè id ostenderes de  
 tua consequentia , adhuc illa non es-  
 set de fide, quia ea tota inniteretur illi  
 connexioni medi termini in præ-  
 missis cum extremis tuæ illationis, &  
 non revelationi divinæ. Omnis au-  
 tem actus fidei divinæ essentialiter  
 debet initi veracitati seu revelationi  
 divinæ, & quidem soli. Ergo omnes  
 tuæ consequentiæ & illationes non  
 sunt de fide divina. Atque hinc patet  
 altera impostura Præconum novi  
 hujus Evangelii, quod suas stolidas il-  
 lationes, & consequentias vendant

Pe-



Populo pro puro verbo Dei (Et esto fortassis, hæ illationes essent legitimæ, si tamen innitantur soli Artificio Dialecticæ, & connexioni mediæ termini in præmissis cum extremis ipsius conclusionis, tales illationes & consequentiæ, & assensus non essent actus fidei divinæ, quia non inniterentur soli veracitati & revelationi divinæ; ad summum igitur quis per tales illationes ostenderet se esse bonum Dialecticum, sed non bonum ac fidelem Christianum. Quid ergo sentiendum est de his Blateronibus, qui dicunt se nihil velle credere, nisi quod est expressum clarè in Scriptura Sacra, & illa etiam quæ sunt in Scriptura sacra clarè expressa non credunt. Nisi quòd fides illorum sit prorsus ad libitum, ut illa credant quæ volunt, & non credant, quæ credere nolunt. Hinc non est mirum, quod inter illos sint tot diversæ circa

dogmata suæ fidei opiniones, cum  
 tot sint diversæ voluntates, imò mo-  
 raliter impossibile est, ut multæ vo-  
 luntates inter se in unum conveni-  
 ant in omnes, sed connaturalius est,  
 ut disconveniant, ad unicam siqui-  
 dem voluntatem requiruntur, ut  
 omnes, & in omnibus conveniant,  
 quod est moraliter difficillimum; ad  
 hoc autem ut disconveniant, sufficit  
 si vel unus aut alter disconveniat  
 cum aliis, quod est connaturalissi-  
 mum & ordinarium. Imò ut ex iis-  
 dem unus idémque hodie aliter sen-  
 tit de articulis suæ fidei, quàm heri  
 senserit, vel cras sentiet, siquidem vo-  
 luntates humanæ ambulatoriæ  
 & perpetuo mutabiles  
 sunt.

## D O G M A III.

*Nullæ traditiones Ecclesia sunt obser-  
vanda, sed omnes tanquam inventio-  
nes humanae rejiciendæ.*

¶ It ita: Ergo neque jejunia hæctenus  
semper usitata in Ecclesia à tem-  
poribus Apostolorum, uti sunt jeju-  
nium quadragesimale, & quatuor  
temporum est observandum, Quod  
quidem Calvinistæ carnivori libera-  
lissime concedunt, Lutherani tamen  
non ita audacter, multi siquidem illo-  
rum sunt, qui hæc jejunia saltem ex  
parte & dimidiatim observant. *Si hoc;*  
ergo nec abstinentia à carnibus die-  
bus *Sabbathi & Veneris*. Quod iterum  
Calvinistæ admittunt ultrò, Luthera-  
ni non ex integro, plurimi siquidem  
ex illis, saltem diebus Veneris man-  
ducare carnes pro piaculo sibi repu-

rant. *Si hoc.* Ergo nec abſtinentia à  
 carnibus die Paraſceves. Quod rurfus  
 Calviniſtæ lubentes amplectuntur,  
 & re ipſa, ac ſapè ex induſtria etiam  
 illa die carnibus veſcuntur, paucos  
 tamen Lutheranos eſt invenire, qui  
 die Paraſceves manducare carnes  
 non exhorreſcant. Memini me cui-  
 dam, qui diebus Sabbathinis libera-  
 liter veſcebatur carnibus, non item  
 diebus Veneris, & multò minus die-  
 bus Paraſceves, propoſuiſſe quaſtio-  
 nem, cur non etiam his diebus carnes  
 manducet ſicuti diebus Sabbathinis?  
 Reſpondit is, quod id ſibi duceret  
 pro gravi peccato. Repoſui eidem,  
 æquale omnino eſſe peccatum, die-  
 bus Sabbathinis carnes manducare,  
 quàm diebus Veneris, & ipſâ die Pa-  
 raſceves. Exhorruit is ad hanc propo-  
 ſitionem, quam tamen illi ſic demon-  
 ſtravi: Manducare carnes ſecundùm  
 ſe

se nullum est peccatum, sed solum ex  
 præcepto Ecclesiæ. Atqui Ecclesia æ-  
 què prohibet esum carnis diebus  
 Sabbathinis, ac diebus Veneris, &  
 comedere diebus communibus Ve-  
 neris, ac diebus Parasceves. Ergo est  
 æque peccatum manducare carnes  
 diebus Sabbathinis, ac diebus Vene-  
 ris, & communibus diebus Veneris,  
 ac die Parasceves. Vel si tibi nullum est  
 peccatum, etiam hîc nullum erit. Ve-  
 rùm pergamus ultrò: Ergo nec festa  
 Sanctorum sunt celebranda, quæ ta-  
 men Lutherani celebrant, at Calvi-  
 niistæ hanc illationem admittunt.  
*Sed si hoc.* Ergo nec festa Nativitatis,  
 nec Resurrectionis, nec Ascensionis,  
 nec Pentecostes sunt celebranda. Ni-  
 hil enim horum præcipitur clarè in  
 Scriptura sacra, sed hoc habetur præ-  
 cisè ex traditionibus Apostolicis Ec-  
 clesiæ. Et tamen hæc saltem etiam  
 Calvinistæ celebrant, licèt celebra-

B 5

tionem

tionem festorum Sanctorum aliorum, æquè ac Invocationem illorum damnent, & in hoc puncto magis consequenter, quàm Lutherani loquuntur. Cuidam tamen Calvinistæ ostendi, quòd etiam illi aliquorum Sanctorum festa celebrent, quod is pertinacissimè negabat, hâc ratiocinatione: Nonne vos Calvinistæ tribus diebus celebratis festa Nativitatis Christi, Resurrectionis, ac Pentecostes. Atqui in festis Natalitiis est sola prima dies & unica ipsius Nativitatis Christi, secunda dies autem est festum S. Stephani Protomartyris. Tertia S. Joannis Evangelistæ. Ergo solùm horum duorum Sanctorum festa celebratis. Hæsit ad hoc argumentum, & dicebat hoc dubium nec sibi, nec suis unquam occurrisset. Sed idem filum protendamus ulterius. *Si hoc.* Ergo neque infantes sunt baptizandi, quod Anabaptistæ contra Luther-

theranos & Calvinistas ex hoc ipso  
 illorum dogmate efficaciter urgent.  
*Si hoc.* Ergo poterit etiam Baptismus  
 sæpiùs reitetari , sicut reiteratur  
 Communio , quod nec Lutherani,  
 nec Calvinistæ practicant. *Si hoc.* Er-  
 go etiam debemus abstinere à suffo-  
 catis, & sanguine, uti ab Apostolis ini-  
 tio statim Ecclesiæ constitutum fue-  
 rat. *Si hoc.* Ergo & Polygamia erit li-  
 cita , quod Lutherus permittebat &  
 Oecolampadius propugnabat. *Si hoc.*  
 Ergo nec dies Dominicus est cele-  
 brandus, hujus enim celebratio ha-  
 betur ex sola Ecclesiæ & Apostolo-  
 rum traditione. Imò Scriptura sacra  
 expressè in Decalogo præcipit , ut  
 diem Sabbathi sanctificemus, novum  
 autem Testamentum nullibi clarè  
 exprimit, aut præcipit Dominicæ  
 diei in locum Sabbathi substitutio-  
 nem. *Si hoc.* Ergo & Symbolum Apo-  
 stolorum rejiciendum erit , cum &

hoc acceperimus per solam Ecclesiæ traditionem. *Si hoc.* Ergo de nullo libro novi Testamenti erimus certi, quòd debeat haberi pro libro Canonico Scripturæ sacræ. *Si hoc.* Neque debemus tenere, quod Baptismus & Cæna Domini sint Sacramenta: Quòd Eucharistia debeat sumi matutino tempore, & jejuno stomacho, quod tamen Lutherani observant, & non vesperi aut post sumptam communem cænam, ac quòd eandem non debeat præcedere lotio pedum, uti factum est in ipsa institutione Cœnæ Domini. Atqui pleraque hæc, si non omnia, observant ipsi quoque moderni Acatholici. Ergo retinent adhuc aliquas Ecclesiæ traditiones. Ergo falsum est hoc illorum dogma. *Quod nullæ traditiones Ecclesie sunt observanda, sed omnes tanquam humane inventiones rejicienda.* Sed neque est ratio cur aliquas teneant & obser-

vent,



vent, & non alias receptas ab Ecclesia  
 jam inde à temporibus Apostolo-  
 rum, & ab ipso exordio Christianæ  
 Ecclesiæ.

## D O G M A I V.

*Vniuscuiusque proprium Kritirion, seu  
 privati spiritus iudicium sufficit ad  
 interpretandam, ac intelligendam  
 Scripturam sacram.*

**S**It ita: Ergo *Primò*. Illorum Hære-  
 ticorum, quorum meminit Phila-  
 strus, & ex eo Alphonsus de Castro  
 vera fuit interpretatio illius textûs  
 Genesis 3. *Et aperti sunt oculi eorum*  
 ( Adam scilicet & EVÆ. ) quòd tunc  
 primùm videre cæperint, & ante  
 peccatum cœci fuerint; sic enim illo-  
 rum Kritirion, & privatus spiritus  
 hunc textum intelligendum esse di-  
 ctabat, Ergo *Secundò*, et Seleuciano-  
 rum

rum & Hermetianorum vera fuit interpretatio verborum illorum apud S. Joan. Bapt. de Christo: Luc. 3. v. 16. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* De igne materiali, adeoque hunc adhibendum esse pro materia Baptismi, quia sic illorum Kriterion & privatus spiritus dictabat illis, hunc textum Scripturæ sic esse intelligendum. Ergo *Tertiò.* Et illa Manichæorum interpretatio, illorum verborum Christi Matt. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis percusserit te in dextram maxillam tuam, prebe illi & alteram:* absolute non esse licitum bellare Christianis non tantum offensivo, sed nec defensivo bello; sic enim intelligendum hunc Kriterii eorum & privati spiritus iudicium dictabat. Ergo *Quartò.* Et illa Gymnistarum bruta etiam esse capacia rationis, quia de hominibus dicitur Ps. 43. *Comparatus est jumentis.* Ergo sicut  
homo

homo rationis est capax, ita & bruta,  
 sic enim hunc textum intelligendum  
 ille privatus spiritus eorum dictabat.  
 Ergo *Quintò*. Et Anthropophorista-  
 rum verba illa scripturæ quod Adam  
 dicatur *factus esse ad imaginem, & simi-  
 litudinem DEI*. Interpretati sunt  
 Deum quoquè ut homines corporea  
 membra habere; sic enim Kritirion  
 illorum & spiritus privatus hæc Scri-  
 pturæ verba, intelligenda esse illis di-  
 ctabat. Ergo *Sextò*. Et Sabellianorum,  
 qui dixerunt Patrem in divinis & Fi-  
 lium unam, eandemque esse Perso-  
 nam, sic interpretantium illa verba  
 Christi; *Ego in Patre sum, & Pater in  
 me. Et Philippe qui videt me, videt, &  
 Patrem meum*: Quia sic dictabat illo-  
 rum Kritirion, & privatus spiritus. Er-  
 go *Septimò*. Et Pelagianorum, qui tex-  
 tus Scripturæ libertati humanæ fa-  
 ventes sic interpretabantur, ut abs-  
 que gratia Christi (saltem superna-  
 tura-

turali) possent homines omnia præcepta DEi adimplere, & suis meritis vitam æternam consequi. Sic enim omnes similes textus interpretandos esse proprium, Kritirion, & dictamen proprii privati spiritûs illis dictabat. Ergo *Octavò*. Et illa altera interpretatio ejusdem Pelagii, negantis peccatum originale, quia sit intelligenda esse judicabat privatò suo spiritu verba illa Scripturæ: *Filius non portat Patris iniquitatem.* Ergo *Nonò*. Et illa interpretatio *Novati*, docentis Christianum, qui semel peccat, amplius non posse veniam sui peccati consequi, quia sic dictabat illi privatus ejus spiritus, intelligenda esse verba illa scripturæ ad Heb. c. 6. v. 4. & 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt; rursus renovari ad penitentiam.* Ergo *Decimò*, Et illa *Aerii*, qui docuit Festum Paschatis non esse celebrandum, quia ex dictamine privati

vati sui spiritûs judicabat sic intelligenda esse verba illa Scripturæ. I. ad Cor. 5.v.7. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ergo Undecimò, Et illa *Petilianî* docentis licitum esse seipsum interimere, quia sic interpretabatur ex privato suo spiritu Matt. 16.v.25. Verba illa Christi: *qui perderit animam suam propter me, inveniét eam.* Omitto plurimas tales interpretationes ex proprio Kritirio, & privati spiritûs dictamine absurdas & ridiculas. Et concludo: Ergo privato huic spiritui, & proprio Kritirio in interpretatione, & explicatione Scripturarum nihil omninò credendum est. Sed ut omittamus veteres hujus privati spiritûs Scripturarum sacrarum interpretationes, accipiamus unicum hunc Textum Scripturæ sacræ: *Hoc est corpus meum.* Quot, & quàm diversæ sunt circa illum interpretationes inter modernos A catholicos! Et tamen

men omnes non possunt esse veræ, cum aliquæ inter illas sint prorsus sibi contrariæ: imò contradictoriæ. Ergo stultum est huic privato spiritui, ut potè tam fallaci, & mendaci fidere in legitima Scripturæ sacræ interpretatione.

Et ecce rectè cum hæc scribo incido in illam Lectionem ezechielis Prophetæ cap 13. v. 2. & 3. *dices prophetantibus de corde suo, hæc dicit Dominus DEVS: væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Quæ apprimè quadrat in hoc spiritûs privati dictamen. Sic igitur præ-nominatus Propheta loquitur, & Deus per os illius: væ Prophetis (interpretibus) insipientibus, qui prophetizant (interpretantur eloquia DEI) qui sequuntur spiritum suum (Kriëirion, & sui privati spiritûs dictamen) & nihil vident (& verum sensum illorum non assequuntur) vident vana, & divinant*  
*men-*

*mendacium: proprii sui cerebri vanas  
& fallaces interpretationes Scriptu-  
rarum proponunt populo (dicentes :  
Ait Dominus cum Dominus non miserit  
eos. & perseveraverunt confirmare ser-  
monem erroneum ( suas interpretatio-  
nes cum pertinacia tuentes, & aliis  
proponentes ) Numquid non visionem  
cassam vidistis, & divinationem ( inter-  
pretationem ) mendacem locuti estis ,  
Ait Dominus, cum Ego non sim locutus,  
sed ipsimet à se ipsis loquuntur, non  
intelligentes, quod omnis Prophetia scri-  
pturae propria interpretatione non fit. 2.  
Pet. c. I. v. 20. Cujus ergo Spiritus san-  
cti, qui nos omnem veritatem docet  
Joan. 16. v. 13. qui nunquam sibi con-  
tradicit, uti sibi contradicunt tot &  
tam diversæ interpretationes Aca-  
tholicorum circa eundem Scripturæ  
textum. Et denique certum est om-  
nes omninò hæreses ortas fuisse ex  
mala interpretatione proprii, & pri-  
vati*

vati Spiritus Scripturarum factarum.  
 Cui proinde penitus credendum  
 non est, utpotè spiritui fallaci, &  
 mendaci. Ideo & Scriptura nos mo-  
 net, ne credamus omni spiritui, sed  
 probemus spiritus, qui ex DEO sunt  
 Joan. c. 4. v. 1. Sed neque datur omni-  
 bus Spiritus sermonum (divinorum)  
 1. Cor. c. 2. 8o. 10. Spiritus igitur hic  
 privatus, utpotè mendacii, non est à  
 Deo, sed à Spiritu maligno Dæmone,  
 qui ab initio mendax, & per antono-  
 masiam Spiritus mendacii vocatur,

## DOGMA V.

*Peccata omnia sunt equalia, & ea omnia  
 mortalia, seu quæ merentur æternam  
 damnationem.*

**S**It ita: Igitur cùm etiam unum ver-  
 bum otiosum sit peccatum, quan-  
 doquidem ipsâ veritate testante de  
 omni



omni verbo otioso danda est Deo ratio, & mendacium officiosum etiam sit peccatum, verbum otiosum erit æquale peccatum mendacio officioso. Ergo æquale etiam temerario juramento. Ergo & perjurio. Ergo & verbo calumnioso. Ergo & gravitet infamatorio. Ergo & blasphemio. Ergo & infidelitati: & Apostasiæ à fide; & abnegationi DEI. Et vicissim abnegare DEUM, vel apostatate à fide; vel blasphemare contra DEUM non erit majus peccatum, quàm sit aliquod mendacium officiosum nemini nocens, vel verbum aliquod otiosum. Rursus furtum unius nummi est peccatum, & furtum magnæ summæ est etiam peccatum. Ergo furtum unius nummi proximo, erit æquale peccatum, ac esset, si quis proximum omnibus bonis expoliaret, vel domum ejus incineraret, aut aliquam urbem exureret, vel regnum  
in-

integrum hostibus proderet: & vicissim non erunt hæc majus peccatum, quàm alicui unum nummulum vel obellum suffurari. Rursus levis aliqua offensio proximi per verbum jocosum, est aliquod peccatum, percussio illius, est etiam peccatum. Ergo levis offensio proximi per verbum jocosum erit æquale peccatum ac illius etiam gravissima percussio. *Si hoc.* Ergo etiam æquale erit lethali illius vulnerationi. *Si hoc.* Ergo æquale erit etiam illius occisioni. Et vicissim occisio proximi & lethalis vulneratio, vel gravis percussio non erit majus peccatum; quàm illius per verbum jocosum levis offensio. Rursus mactare alicujus pullum est peccatum. Et mactare hominem est etiam peccatum. Ergo mactare alicujus pullum non erit minus peccatum; quàm mactare hominem. *Si hoc.* Ergo nec minus, quàm mactare Parentem. Ergo nec minus quàm

quàm interficere terræ Principem  
vel Regem. Et vicissim maçtare terræ  
Principem vel Parentem non erit  
majus peccatum, quàm unicum pul-  
lum, vel canem alterius maçtare. Vi-  
deant jam Reges & Principes quâ  
prudentiâ, in suis Provinciis, & Re-  
gnis tales tolerant, qui tam pestilen-  
tes doctrinas tradunt.

Rursus. Curiosus aspectus alicujus  
Personæ alterius sexûs est aliquod  
peccatum. Ergo cùm omnia peccata  
sunt æqualia, fornicatio non erit ma-  
jus peccatum, quàm curiosus alicujus  
Personæ alterius sexûs aspectus. *Si hoc*  
Ergo nec Adulterium. *Si hoc.* Ergo  
neque Incestus. *Si hoc.* Ergo etiam So-  
domia, *Si hoc.* Ergo neque Bestialitas.  
Et vicissim Bestialitas non erit majus  
peccatum quàm Sodomia, Sodomia  
quàm incestus, incestus quàm adulte-  
rium, Adulterium quàm fornicatio,  
& omnia enumerata scelera, non  
erunt

erunt majora, quàm curiosus aliquis  
alicujus Personæ alterius sexûs aspe-  
ctus. Quæ omnia cum sint falsissima,  
ac absurdissima, necessè est etiam fal-  
sissimum & absurdissimum esse Do-  
gma illud: *Quod omnia peccata sunt æ-  
qualia, & mortalia.*

Rursus in justitia Vindicativa, æ-  
quali culpæ debetur æqualis pœna,  
& in universum pœna debet com-  
mensurari culpæ. Ergo si omnia pec-  
cata essent æqualia, æqualiter debent  
puniri omnia. Ergo æquali pœnâ pu-  
niendum esset furtum unius pomi,  
quam industriosa, & ex proposito fa-  
cta incineratio unius pagi vel Civita-  
tis. Unum aliquod leviter obscænum  
verbum, quàm adulterium, nec mi-  
nori pœnâ illud puniendum esset  
quàm adulterium, quàm incestus,  
quàm sodomia, quàm bestialitas. Vel  
si hæc merentur puniri pœnâ gravif-  
simâ, & atrocissimâ, etiam verbum il-  
lud

lud leviter obſcænum deberet puniri  
ſimili pœnâ. Hæc omnia ſunt abſur-  
da, nec ab ullo ſanæ mentis admitti  
poſſunt. Ergo neque Dogma illud :  
*Quòd omnia peccata ſint equalia.*

Dicet quis ſimilium Nugarum  
venditor. *Aliam eſſe rationem iudicii*  
*humani, aliam iudicii divini, ſed con-*  
*tra eſt, Quia DEUS eſt ens perfectiſſi-*  
*imum in omni genere perfectionis.*  
Ergo & in perfectione juſtitie vindi-  
cative, & neminem punit ſupra con-  
dignum, ſed potius ratione ſue beni-  
gnitatis infra condignum. Et tamen  
magis, ſeu majori pœnâ punit aliqua  
peccata, quàm alia. Ergo etiam apud  
DEUM non omnia peccata ſunt æ-  
qualia. Probatyr aſſumptum. Nam  
Matth. 5. habetur hæc gradatio pec-  
catorum & pœnarum. *Omnis, qui ira-*  
*ſcitur fratri ſuo,* hoc eſt qui cum ſim-  
plici & nudâ irâ, ſeu appetitu vindi-  
cæ, ſi *ſine cauſa,* ut eſt in græco delibe-  
ratè

C

ratè

ratè foveat iram *Reus erit iudicio*. Qui  
 autem fratri suo dixerit *Racha*, quæ  
 vox vacuum significat, scilicet cere-  
 bro, estque minor calumnia quàm si  
 dicatur fatuus, *Reus erit concilio*. Qui  
 autem dixerit *fatue*: hoc est, qui gravi  
 contumeliâ proximum afficit. *Reus*  
*erit gehenna ignis* Deinde sunt aliqua  
 peccata ad mortem i. Joan. 5. v. 16. Er-  
 go non omnia sunt ad mortem. Ergo  
 non omnia mortalia. Sunt præterea  
 peccata, *quæ neque in hoc, neque in fu-  
 turo seculo dimittuntur* Matth. 12. v. 32.  
 Ergo etiam sunt aliqua, quæ vel in  
 hoc vel alio sæculo remittuntur; Er-  
 go sunt aliqua, quæ faciliùs, & aliqua,  
 quæ difficiliùs remittuntur. Ergo ali-  
 qua sunt majora, aliqua minora. Ergo  
 non omnia æqualia. Item Luc. c. 12. v.  
 47. & 48. *Ille servus qui cognovit volun-  
 tatem Domini sui, & non preparavit, &  
 non fecit secundum voluntatem Domini  
 sui, vapulabit multis; qui autem non co-  
 gnovit*

gnovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Deinde Deuteronomii 25. v. 2. dicitur: *pro mensura delicti erit & plagarum modus.* Et Sapien. 6. v. 7 *Potentes autem potenter tormenta patientur.* Ergo etiam apud Deum est diversitas pœnarum. Ergo & peccatorum. Demum aliquibus peccatis Christus minatur carceres æternos, ex quibus illa committentes nunquam exhibunt aliquibus verò temporaneos, ex quibus illa committentes exhibunt; sed non prius quàm reddant novissimum quadrantem. Matth. 5. v. 22 & 26. Ergo etiam in altera vita apud DEUM est diversitas pœnarum, adeóque & culparum, seu peccatorum. Ergo non omnia peccata sunt æqualia, sed aliqua etiam venialia, quæ puniuntur pœnâ temporali vel in hac, vel in altera vita. Ergo Dogma tuum: omnia peccata esse æqualia, eaque omnia mortalia, est falsum, & absurdum.

C 2

DOG



## D O G M A VI.

*Sola incredulitas hominem damnat.  
Ita Lutherus, Calvinus, Beza, &  
Confessio Anglicana.*

**S**It ita. Quòd sola incredulitas hominem damnet. Ergo sola incredulitas excludit hominem à cælo. *Si hoc.* Ergo soli infideles & increduli non possidebunt Regnum cælorum. *Si hoc.* Ergo alii peccatores illud possidebunt, modo non sint in peccato incredulitatis. *Si hoc.* Ergo fornicarii etiam, modò non sint in peccatis incredulitatis possidebunt Regnum Cælorum. *Si hoc.* Ergo & adulteri. *Si hoc.* Ergo & molles. *Si hoc.* Ergo & masculorum concubitores. *Si hoc.* Ergo & fures. *Si hoc.* Ergo & avari. *Si hoc.* Ergo & ebriosi. *Si hoc.* Ergo & maledici. *Si hoc.* Ergo & rapaces. Sed hæc sunt



sunt omnia absurda, & manifestè opposita Scripturæ sacræ. Nam S. Paulus I. ad Cor. 6. v. 9. clarissimè dicit: *Quod neque fornicarii, neque Idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrii, neque maledici, neque rapaces, Regnum DEI possidebunt.* Et præmonet ibidem S. Apostolus, ut nolimus hoc in puncto errare, contrarium faciendo. Ergo cum illud Dogma, quod propter solam incredulitatem homines damnentur sit doctrinæ S. Pauli contrarium, imò & contradictorium, consequenter est falsissimum, & erroneum.

Rursus si propter solum incredulitatis peccatum damnentur homines, ergo etiam propter hoc solum peccatum ibunt in supplicium, & ignem æternum. *Si hoc.* Ergo si qui non committant peccatum incredulitatis, sed tamen omittant exerci-

tium bonorum operum, & præsertim operum misericordiæ, non ibunt in supplicium, & ignem æternum. Ergo neque illi, qui esurienti Christo in paupere non dederunt ad manducandam, ibunt in supplicium, & ignem æternum. Ergo neque illi qui Christo Domino in paupere sitienti non dederunt potum. Ergo neque illi qui hospitem in paupere Christum non collegerunt, aut nudum non cooperuerunt, & infirmum non visitârunt, aut in carcere existenti non ministrârunt, ibunt ad ignem, & supplicium æternum. Sed hæc omnia sunt absurda. Christus siquidem Matth. 41. ait. Dicturum Judicem in extremo iudicio iis, qui erunt ad sinistram, hanc terribilem sententiam: *discedite à me maledicti in ignem æternum* (Non ob incredulitatem) *sed ob sequentes rationes; Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, sitivi &*

NON

non dedistis mihi potum , hospes  
 eram, & non collegistis me, nudus ,  
 & non cooperuistis me, infirmus, &  
 in carcere, & non visitastis me, ac non  
 ministrastis mihi, ubi notanda est illa  
 particula *Enim*, quæ idem est hoc lo-  
 co ac *propterea*, seu *causa formalis*, &  
*Ratio* cur ituri sunt in supplicium, &  
 ignem æternum. Ergo si homines  
 propter peccaminosas omissiones  
 misericordiæ operum ituri sunt ad  
 ignem, & supplicium æternum, à for-  
 tiori propter positiva peccata com-  
 missionis his operibus misericordiæ  
 opposita, ibunt ad supplicium &  
 ignem æternum. Ergo falsissimum est  
 hoc Dogma, quòd propter solam in-  
 credulitatem damnentur homines.

Rursus si propter solam incredu-  
 litatem damnentur homines, ergo &  
 propter solam incredulitatem non  
 habebunt vitam æternam in se ma-  
 nentem: Ergo si quis homicida sit, sed

fide præditus, habebit vitam æternam in se manentem. Et tamen i. Joan. 3. v. 15. dicitur: *Scitis, quod omnis homicida (etiam fide præditus) non habet vitam æternam in se manentem.* Ergo falsissimum Dogma est. Quod propter solam incredulitatem damnentur homines;

## DOGMA VII.

*Nulla nostra bona opera, esto sint elicitæ vel imperatæ ab homine iustificato, & ex gratia Dei, quæ nobis datur ex meritis Christi, sunt meritoria cælestis gloriæ, aut gratiæ, vel alicujus alterius præmii supernaturalis.*

**S**I nulla talia bona opera nostra sunt meritoria Cælestis gloriæ, seu vitæ æternæ, aut alicujus præmii supernaturalis. Si inquam *nulla.* Ergo neque opera misericordiæ. *Si hoc.* Ergo

go hæc non possunt esse motivum di-  
 vine voluntatis, ut det nobis propter  
 illa, seu intuitu illorum Regnum Cœ-  
 lorum. *Si hoc.* Ergo multò minus, ut  
 det nobis propter illa, vel intuitu il-  
 lorum possessionem ipsius Regni  
 Cœlorum. *Si hoc,* Ergo non possunt  
 assignari pro causa formali, seu *propter*  
*quam* datur justis possessio Regni Cœ-  
 lorum. Et tamen Matth. 25. v. 34. ha-  
 betur: *Venite benedicti Patris mei; possi-*  
*detis paratum vobis Regnum à constitu-*  
*tione mundi.* Esurivi enim & dedistis  
 mihi ad manducandum, sitivi & de-  
 distis mihi ad bibendum: hospes  
 eram & collegistis me; Ubi particula  
 illa *Enim* accipitur pro causa formali,  
 seu ratione *propter quam* datur illis,  
 qui opera misericordiæ exercuerunt,  
 possessio Regni Cœlorum. Quod ma-  
 nifestum est ex ipso contextu Scri-  
 pturæ Sacræ. Nam ut in eodem Ca-  
 pite habetur, ut paulò ante diximus,

damnandis dicetur: *Esurivi Enim, & non dedistis mihi manducare: Sitivi, & non dedistis mihi bibere: hospes eram & non collegistis me.* Et utrique textui subicitur: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Circa quem Scripturæ sacræ textum duo notanda sunt. *Primò.* Quod Judex in die Judicii extremo non sit dicatur Electis: *Quia vos credidistis in me, venite & possidete vobis paratum Regnum, Neque damnandis: Quia vos non credidistis in me, ite ad supplicium æternum.* Sed tam hi, quàm illi supponuntur credidisse, & fidem veram habuisse. Ut sciamus quod neque salvandi salventur propter solam fidem; neque damnandi damnentur propter solam Infidelitatem seu Incredulitatem; verùm quia illi credentes exercuerunt opera misericordiæ, & hi etiam credentes neglexerunt eadem exercere. *Secundò.* Quod hîc

uno

uno genere bonorum operum, puta  
misericordiae corporalis, intelligi vult  
Christus omnia alia virtutum genera,  
Tantum enim exempli gratiam profert  
unius generis opera, maxime facilia  
& omnibus obvia, & a quibus saltem  
ope, consilio, commiseratione praestandis, nemo sese excusare potest; ut  
sic ostendat quanto praemio remuneraturus sit, alia longe excellentiora  
bona opera, si pro his minimis regnum aeternum largiatur.

Verum redeamus ad continuandam seriem sequelarum ac illationum. Si itaque opera misericordiae non sunt meritoria vitae aeternae, aut alicujus remunerationis supernaturalis: Ergo neque actus spei erunt meritorii alicujus praemii supernaturalis. Et tamen Scriptura testatur de spe, *Quod omnis, qui spem habet in DEO, sanctificet se.* 1. Joan 3. v. 3. Si vero neque actus spei sunt meritorii alicujus

Præmii supernaturalis, ergo neque  
 actus Charitatis, & tamen juxta do-  
 ctrinam S. Petri Epist. i. Cap. 4. v. 8.  
*Charitas operit multitudinem peccato-  
 rum. Si hoc.* Ergo neque actus fidei. *Si  
 hoc.* Ergo falsum est, quòd sola fides  
 sufficiat ad salutem. Vel si verum est  
 quòd sola fides sufficiat ad salutem,  
 verum etiam erit, quòd fidei actus sint  
 meritorii vitæ æternæ. *Sed si hoc.* Ve-  
 rum erit etiam, quòd aliquod bonum  
 opus nostrum ex gratia DEI, quæ da-  
 tur nobis ex meritis Christi, elicitedum  
 vel imperatum erit meritorium vitæ  
 æternæ. Ergo falsissimum erit hoc  
 Dogma assumptum: Quòd nullum  
 opus bonum nostrum etiam ex gratia  
 DEI, quæ nobis datur ex Christi me-  
 ritis, elicitedum vel imperatum, sit me-  
 ritorium cœlestis gloriæ, aut alicujus  
 præmii supernaturalis.

Rursus, si hoc opus bonum (nem-  
 pe actus fidei) est meritorium vitæ æ-  
 ternæ,



ternæ, tunc etiam actus spei erit me-  
 ritorius vitæ æternæ, propter eandem  
 formalem rationem. Ideo siquidem  
 actus fidei est meritorius vitæ æternæ,  
 quia elicitur ab homine iusto, & ex  
 gratia data nobis per merita Christi,  
 & habet sibi compromissam vitam,  
 seu salutem æternam verbis illis Chri-  
 sti: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,  
 salvus erit* Marci 16. v. 16. Sed etiam  
 actus spei ab homine iusto elicitus ex  
 gratia DEI, quæ nobis datur ex meri-  
 tis Christi, habet sibi compromissum  
 præmium supernaturale, verbis illis  
 S. Pauli ad Rom. 5. v. 2. & 5. *Gloriamur  
 in spe gloria filiorum DEI. Spes autem  
 non confundit. Et Psal. 31. v. 10. Speran-  
 tem autem misericordia circumdabit.*

Et rursus si actus spei sunt merito-  
 rii præmii supernaturalis. Ergo &  
 actus charitatis propter eandem DEI  
 compromissionem, de qua testatur  
 Scriptura: *Charitas operit multitudi-*

*nem peccatorum* i. Petri 4. v. 8. Et Luc.  
 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa*  
*quia dilexit multum. Si hoc.* Ergo &  
 actus misericordiæ; nam eâdem Scri-  
 pturâ teste *Misericordia & veritate re-*  
*dimittitur iniquus*, Prov. 16. v. 6. *Si hoc.* Er-  
 go & actus eleëmofynæ, eleëmofyna  
 siquidem Scripturâ eâdem teste *ab*  
*omni peccato & morte liberat.* Tob. 4.  
 v. II Et Christi verba sunt: *Date eleë-*  
*mosynam, & ecce omnia munda sunt vo-*  
*bis* Luc II. v. 41. *Si hoc.* Ergo & condo-  
 natio offensarum juxta compromif-  
 sum Christi: *Dimittite, & dimittentis*  
 Luc 6. v. 37. Et Matth. 6. v. 14. *Si enim*  
*dimiseritis hominibus peccata eorum, di-*  
*mittet & vobis Pater vester Cælestis de-*  
*licta vestra. Si hoc.* Ergo & reliqua  
 omnia opera vestra, juxta illud com-  
 promissum Scripturæ sacræ: *& qui bo-*  
*num egerint, ibunt in vitam æternam.*  
 ergo propositum Dogma: Quod nul-  
 la nostra bona opera habeant vim  
 me-

merendi Cælestem gloriam, aut ali-  
quod aliud præmium supernaturale;  
esto sint elicita vel imperata ex gratia  
DEI, quæ nobis datur ex meritis  
Christi, & ab homine justo, est erro-  
neum, falsissimum, ac simul impium.

D O G M A VIII.

*Omnia nostra opera sunt peccata. Ita Lu-  
therus, Calvinus & alii Novatores.*

**S**I omnia nostra opera sunt peccata;  
ergo & oratio. *Si hoc.* Ergo Chri-  
stus dum docuit Discipulos suos ora-  
re, docuit illos peccare: si verò ipsa et-  
iam oratio est peccatum, ergo omnis  
oratio. *Si hoc.* Ergo etiam oratio qua  
oramus pro remissione peccatorum.  
*Si hoc* ergo dum oramus ut DEUS re-  
mittat nobis peccata, de novo pecca-  
mus. *Si hoc.* Ergo dum oramus a DEO  
nobis dimitti peccata, per peccatum  
volu-

volumus tollere peccatum. *Si hoc.* Ergo dum Christus præcepit nobis semper orare Luc. 18 v. 1. præcipit nobis semper peccare. *Si hoc.* Ergo adimplendo præceptum Christi peccamus. Sed peccatum est dictum vel factum contra Legem DEI & Christi. Ergo cum oratio sit juxta præceptum Christi, non est peccatum. Ergo non omnia nostra opera sunt peccata.

Rursus si omnia nostra opera etiam bona sunt peccata; Ergo & oratio, quæ est opus bonum, erit peccatum. *Si hoc.* Ergo & opus spei, *Si hoc.* Ergo & opus Charitatis. *Si hoc.* Ergo & opus seu actus fidei. Sed juxta Adversarios, & præmentionatum supra fidei Dogma fidei justificamur. Ergo per peccatum aliquod justificamur. *Si hoc.* Cum per justificationem tollatur vel saltem tegatur (ut Adversarii docent) peccatum, Ergo per peccatum tollitur, aut saltem tegitur peccatum.

catur. Quod quid aliud est, quàm fo-  
ramen in tecto foramine claudere  
vel obtegere?

Rursus. Si omne opus nostrum et-  
iam bonum est peccatum, & oratio est  
peccatum. Ergo & jejunium est pec-  
catum. Ergo & Eleemosyna. Ergo  
oratio cum jejunio & Eleemosyna est  
triplex peccatum. Atqui Scriptura  
sacra Tobiaë 12. v. 8. ipso Raphæle Ar-  
changelo attestante ait: *Bonam esse O-  
rationem cum jejunio & eleemosyna*,  
peccatum autem non est bonum, &  
non minus sibi opponuntur bonum,  
& malum, seu peccatum (quod solum  
est re ipsa malum) quàm Lux & tene-  
bræ, Ergo oratio cum jejunio & Elec-  
mosyna non est peccatum. Ergo non  
omnia nostra opera, etiam bona, sunt  
peccata.

Rursus S. Petrus 1. sua Epistola  
C. 3. v. 11. nos admonet, ut si diligimus  
vitam (utique æternam) declinemus à  
malo,

malo, & faciamus bonum, id est caveamus peccatum, & exerceamus nos in bonis operibus. Si autem omnia nostra opera, etiam bona, essent peccata, idem dixisset Spiritus sanctus per Apostolum, ut caveamus peccatum, & faciamus peccata, quod dicere vel sentire, est peccatum in Spiritum sanctum, & tamen hoc sensisse videbatur Lutherus, cum in sermone de novo Testamento, seu de Missa habeat hæc formalia verba: *caveamus à peccatis, sed multò magis à Legibus & bonis operibus.*

Rurfus DEUS præcipit Justis exercere aliqua opera, tanquam bona, & alia prohibet tanquam peccata: Item pro illis promittit mercedem, præmium, & coronam, pro istis pœnam, & supplicium æternum. Ergo non omnia nostra opera, etiam bona sunt peccata, alias DEUS præciperet, & remuneraretur peccata.

Rur-

Rurfus, Non condonare offensas  
 proximorum , est malum, & confe-  
 quenter est peccatum, & condonare  
 eafdem est bonum opus. Ergo fi  
 omnia noftra opera etiam bona funt  
 peccatum, etiam condonatio offen-  
 farum est peccatum. Et cum per Ad-  
 verfarios omnia peccata funt æqua-  
 lia. Ergo condonatio offenfatum  
 proximi , erit æquale peccatum, ac  
 eafdem illi non condonare, nec velle  
 condonare. Ergo hoc Dogma propo-  
 fitum quòd omnia noftra opera et-  
 iam bona funt peccata , est fal-  
 fiffimum, erroneum, & summè impium,  
 & prorfus irrationabile. Quis enim  
 fanæ mentis fibi perfuadere poterit,  
 quod idem fit bene agere , & malè  
 agere, malum committere , & illud  
 omittere. Nifi fit adeo hebes, ut con-  
 cedat idem effe : affirmare quod ne-  
 gare, concedere aliquam propositio-  
 nem, & eandem mox negare, quod  
 Acatholicis quidè est valdè cõmune.

Hæc dum scribo, occurrit mihi  
 valde rationabilis quædam cogitatio  
 & dubitatio ex occasione proxime  
 adductorum Dogmatum modernorum  
 Sectariorum, Utrum scilicet Lu-  
 cifer (qui circumit velut Leo rugiens,  
 quærens quem devoret, inducendo  
 homines ad malum, & avocando à  
 bono, in quibus duobus tota illius  
 machinatio, omnisque conatus est)  
 cum tota sua infernal Schola, potuis-  
 set ad hoc suum intentum, excogitas-  
 se efficaciora media, & machinam  
 magis aptam, ac idoneam, quàm sint  
 Dogmata modernorum A catholicorum,  
 quæ eò sunt periculosiora, quòd  
 sub prætextu Scripturæ Sacræ, & ver-  
 bi divini (ac instar mellis, regentis ve-  
 nenum) ab iis proponantur populo.  
 Cujus modi sunt ex. gr. *Primò*. Quòd  
 Decalogus nihil spectet ad Christia-  
 nos, ut Lutherus ait sermone de  
 Moyse, de quo Witakerus lib: 8: con-

tra:



tra Duræum sic scribit : *Hic articulus*  
*Luthero est dignissimus, quia summam*  
*veritatem, & consolationem continet*  
 (dicere debuisset, quia summam falsi-  
 tatem, & libertatem, ad omnia scelera  
 continet) *Secundò.* Quòd præcepta di-  
 vina observari à nemine possint. *Ter-*  
*tiò.* Quòd omnia peccata sint æqualia,  
 consequenter quòd blasphemia con-  
 tra Deum, incestus, adulterium, per-  
 jurium, & alia horrenda crimina non  
 sint majora peccata, quàm unum ver-  
 bum otiosum, & aliæ similes imper-  
 fectiones, in quas etiam justus septies  
 cadit de die ( hoc est frequenter )  
*Quartò.* Quod electis & prædestinatis  
 salvandis nulla à Deo imputentur  
 peccata, & simul quòd omnes debe-  
 ant credere se esse prædestinatos, &  
 certò salvandos. *Quintò.* Quòd pœni-  
 tentia de præteritis peccatis non sit  
 necessaria, sed ad justificationem &  
 remissionem peccatorum præterito-  
 rum,

rum, sufficiat sola fides, quâ quis credit, sibi remissa esse peccata ex meritis Christi, & Christum Dominum suâ morte jam satisfecisse æterno Patri pro omnibus nostris peccatis. *Sextò.* Quòd propter nullum aliud peccatum damnabitur homo nisi propter peccatum incredulitatis, Quis enim his principiis & documentis imbutus conabitur declinare à malo, hoc est, peccata cavere, & vitare, ac ab illis abstinere? Rursus si vera sunt modernorum Novatorum hæc fidei Dogmata: Quòd opera bona non sint necessaria ad salutem, imò quòd sint ad eam consequendam prorsus inutilia, & quòd majus est, quòd sint ipsissima peccata. Quis quæso impendet se bonis operibus, & faciet bonum? Hic jam pius Lector recogitet, & consideret, ac perpendat, utrum prædictæ doctrinæ prodierint ex Schola Dei & Christi? Nequaquam: nam Ezechie-

zechielis 18. DEUS dicit per Prophe-  
tam: *Qui iudicium & iustitiam operatus  
est omnia praecepta custodivit, fecit illa,  
vivit vitam. Et anima qua peccaverit  
ipsa morietur, si autem averterit se iustus  
à iustitia sua, & fecerit iniquitatem se-  
cundum omnes abominaciones, quas abo-  
minari solet impius, nunquid vivet? Er-  
go ad hoc ut aliquis salvus fiat, requi-  
ritur, ut se contineat ab omni pecca-  
to gravi, & faciat iustitiam, & praece-  
pta Dei custodiat. Et ad Rom. 2. v. 9.  
*Tribulatio & angustia in omnem ani-  
mum operantis malum. Item 1. Joan. 3.  
v. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est. &  
Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis,  
moriemini ( aeternâ scilicet morte )*  
Item Eccl. 12. v. 3. & 4. *Altissimus pecca-  
tores odio habet, & impiis reddet vindi-  
ctam. Item Convertere ad Dominum, &  
relinque peccata tua. Eccl. 17. v. 12.*  
Denique plena est Scriptura sa-  
cra adhortationibus, admoni-  
tio-*

tionibus, documentis, & doctrinis,  
 quibus admonemur, & instruimur, ut  
 declinemus à malo seu peccato  
 (quod solum est re ipsa malum) & in-  
 citemur ad bonum. Ita 2. Petri I. v. 10.  
*Satagite, ut per bona opera certam ve-  
 stram vocationem, & electionem faciatis*  
 Matt. 19 v. 17. *Si vis ad vitam ingredi,  
 serva mandata. Item Voca operarios, &  
 redde illis mercedem.* Matt. 20. v. 8. Non  
 igitur Dogmata fidei modernorum  
 A catholicorum sunt ex Schola DEI  
 & Christi. Et sic Novatores hi, per  
 suas has doctrinas, & quidem quasi ex  
 Scriptura & Verbo DEI firmatas,  
 plurimum relevavit Demonem in  
 fatigiis, quæ alias debuisset subire in  
 tentationibus suggerendis, quæ om-  
 nes consistunt in sola avocatione à  
 bono, & inclinatione seu inductione  
 ad malum, à quo proinde poterunt  
 expectare remunerationem amplissi-  
 mam, sed illam quam solet is dare sibi  
 ser-

fervientibus, & suis malis instigationibus ac conatibus tam strenuè cooperantibus; pœnas scilicet æternas.

## DOGMA IX.

*Christus non tantum secundum suam Divinitatem, sed etiam secundum suam humanitatem est ubique. Ita Lutherani, ob quod etiam Ubiquitarii seu Ubiquistæ dicuntur.*

## A N A L Y S I S.

**S**I Christus etiam secundum suam humanitatem est ubique. Ergo sicut incepit aliquando esse homo ( quando scilicet Verbum Caro factum est in utero Beatissimæ Virginis **MARIÆ** ) ita incepit aliquando etiam secundum suam humanitatem esse ubique. *Si hoc.* Ergo vel in instanti suæ conceptionis, vel quando natus

D

est,

est, vel quando est mortuus, vel quando resurrexit à mortuis, vel quando, seu postquam ascendit in Cœlum. Nihil horum potest dici; ergo Christus non est ubique etiam secundum suam humanitatem. Probatur minor. Non enim potest dici primum: Quia si Christus fuisset *ubique* statim in instanti suæ conceptionis, fuisset secundum suam humanitatem, etiam extra uterum maternum. *Si hoc.* Ergo fuisset natus antequam fuisset natus; nasci liquidem nihil est aliud, quam in utero materno concipi, & extra illum esse seu existere. *Si hoc.* Ergo non fuisset in utero materno novem mensibus. *Si hoc.* Ergo non fuisset vera illa Evangelii narratio Luc. 2 v. 6. & 7. *Factum est autem cum essent ibi* (scilicet in Bethlehem) *impleti sunt dies ut pareret (MARIA) & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis*

*eis locus in diversorio: neque fuisset ve-*  
*ra illa Annuntiatio Angeli ad Pasto-*  
*res v. 10. Ibidem: Ecce evangelizo vobis*  
*gaudium magnum, Quia natus est vobis*  
*hodie Salvator, qui est Christus Dominus*  
*in Civitate David; si enim Christus*  
*fuisset ubique etiam secundum hu-*  
*manitatem suam, statim ab initio suæ*  
*conceptionis fuisset etiam in Bethle-*  
*hem, fuisset & in præsepio, fuisset &*  
*eidem locus in diversorio. Ergo fal-*  
*sum fuisset, quòd primò postquam*  
*impleti fuissent dies Mariæ, peperit*  
*Filium suum Jesum Christum, &*  
*postquam illum peperit, reclinavit il-*  
*lum in præsepio, & quòd non fuerit*  
*ei Locus in diversorio. Et quòd natus*  
*sit homo, hoc est illa die, quâ hoc E-*  
*vangelium annuntiatum fuit Pasto-*  
*ribus. Ergo Christus non cœpit esse*  
*ubique statim ab initio suæ conce-*  
*ptionis secundum suam humanita-*  
*tem. Sed neque dici potest secun-*  
D 2
dum;

dum; quòd scilicet Christus cœperit  
ubique esse , etiam secundum suam  
humanitatem postquam natus est.  
Quia si postquam natus est, statim fu-  
isset ubique etiam secundum suam  
humanitatem, jam fuisset in Ægypto  
re ipsa, antequam eò fugisset, & fuisset  
in Nazareth antequam ex Ægypto  
rediisset, ac in monte Calvarix ante-  
quam crucem bajulans eum con-  
scendisset, & in cruce priusquam cru-  
ci affixus fuisset, ac demum in sepul-  
chro antequam sepultus fuisset. Hæc  
omnia sunt absurdissima , & contra  
veritatem historix Evangelistarum.  
Ergo Christus non cœpit esse ubique  
etiam secundum suam humanita-  
tem, statim ac natus est. Non etiam  
tertium dici poterit , quòd scilicet  
Christus cœperit esse ubique etiam  
secundum suam humanitatem, sta-  
tim post suam mortem. Nam post  
mortem illius anima ejus descendit  
ad



ad inferos, ut Symbolum Apostolorum testatur, corpus verò mansit in sepulchro, ubi jacuit triduo, & primò post triduum anima Christi rediit ad corpus, ac Christus resurrexit à mortuis, & antequam resurrexisset non erat extra sepulchrum post suam mortem, ac illo triduo anima cum suo corpore nullibi erant simul. Et si nullibi erant simul, multò minus ubique, humanitas autem Christi nihil aliud est, quàm anima ejus unita suo corpori. Ergo Christus non cœpit esse ubique statim post mortem suam. Sed neque dici potest quartum; quòd scilicet Christus cœperit esse secundum suam humanitatem, postquam surrexit à mortuis. Nam ex Evangelio, & Symbolo Apostolorum constat Christum primò post 40. dies à sua resurrectione ascendisse ad Cœlum, ubi prius corporaliter non erat, dein de postquam surrexit ex sepulchro,

D 3

NON



non fuit in sepulchro teste Angelo  
 ac dicente: *Surrexit, non est hic.* Et ite-  
 rum præcedet vos in Galilæam. Ergo  
 antequam præcessit, & eò præcessit,  
 non fuit in Galilæa. Constat etiam  
 eum post resurrectionem sæpius lo-  
 cum corporaliter mutasse, ut dum  
 cum duobus discipulis iret in Emaus,  
 qui coëgerunt illum, ut secum intra-  
 ret diversorium. Ergo antequam in-  
 trasset diversorium, non erat in diver-  
 sorio, similiter aliis suis discipulis va-  
 riis in locis, & diversis temporibus  
 apparuit. Ergo sæpius mutavit lo-  
 cum. *Si hoc.* Ergo debebat moveri de  
 uno loco ad alium locum corporali-  
 ter. *Si hoc.* Ergo dum se movit, de uno  
 loco ad alium, seu ex termino à quo, ad  
 terminum ad quem, quando erat in  
 termino à quo, nondum erat in termi-  
 no ad quem, & quando venit ad ter-  
 minum ad quem, non fuit amplius in  
 termino à quo. Ergo non erat ubique  
 etiam

etiam secundum suam humanitatem statim post suam Resurrectionem.

Nec demum potest dici ultimum, nempe quod Christus secundum suam humanitatem ubique coeperit esse, postquam ascendit in Coelum. Nam ut habetur Act. I. v. 12. de ipso dictum est: *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in Coelum, sic veniet (ad diem Iudicii scilicet) quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum.* Ergo sicut antequam ascendisset ad Coelum, non fuit corporaliter in Caelo, ita postquam ascendit iam in Coelum non est corporaliter in terris, nisi in Eucharistia Sacramentaliter, & multò minus ubique, & in omni omnino loco.

Demum si humanitas Christi, seu Christus, etiam secundum suam humanitatem est ubique. Ergo est etiam in omni pane & vino. *Si hoc.* Ergo est etiam realiter *in, cum, & sub* pane

D 4

omni

emni & vino. *Si hoc.* Ergo est in quolibet pane, & vino, seu sicuti est juxta Lutheranos in eucharistico pane & vino: *Si hoc.* Ergo *panis & vinum* eucharisticum non indiget consecratione Prædicantis, siquidem jam ante illius consecrationem est *ibi*, hoc est *in* illo pane & vino, & *cum* illo, & *sub* illo humanitas Christi, hoc est corpus, & sanguis, & anima Christi. *Si hoc.* Ergo Domini Lutherani non indigent ullo Prædicante. Ergo nec opus est illis ire ad templum pro communione.

Rursus, si Corpus, & Sanguis Christi, seu humanitas illius est *ubique*, Ergo sunt simul etiam sub una specie. Ergo communicantes Catholici sub una specie, accipiunt simul corpus, & sanguinem Christi. *Si hoc.* Ergo non possunt Domini Lutherani justè conqueri, quod Laicis non distribuatur Eucharistia sub utraque specie, sed subtrahatur vini species, seu

seu usus Calicis. Ergo propter hanc subtractionem Calicis non habuerunt sufficientem causam separandi se à Romana ecclesia, per tantum tumultum, & cum tanto scandalo ac incommodo Christianitatis.

Non possum hìc prætermittere ludicrum argumentum Ubiquistarum, sic enim quidam illorum lepidè arguunt. Christus secundum suam humanitatem, seu Christus *homo DEVS* sedet ad dexteram DEI Patris, dextra DEI est ubique, Ergo Christus est ubique, etiam secundum suam humanitatem. Quod argumentum est planè nullius momenti: Quia, nonne etiam omnes beati sedebunt in altera vita ad dextram DEI juxta illud ad Ephes. c. 2. v. 6. *Confedere me fecit in Cœlestibus in Christo, seu cum Christo,* & Matth. 25. v. 23. *Statuet quidem oves* (hoc est justos) *à dextris suis, & ados* (hoc est injustos & damnandos)

D 5

à si-

*à sinistris*, ac illud Christi Joan. 12. v.  
 26. *Vbi ego sum, illic & minister meus*  
*erit*; & tamen non bene hinc infer-  
 tur: Ergo & beati erunt ubique. De in-  
 de & sinistra DEI est ubique æquè ac  
 dextra, dextra enim & sinistra DEI  
 est ipse DEUS, qui est ubique, & so-  
 lum Metaphorice hæc nomina *dex-*  
*tra, sinistra* eidem conveniunt, & ta-  
 men per hoc damnandi non erunt u-  
 bique, alias enim sic essent etiam in  
 Cœlo. Christum igitur sedere ad dex-  
 tram Patris, nihil aliud est, quàm esse  
 æqualem Patri, potentiâ, gloriâ, ma-  
 jestate, secundum quidem suam divi-  
 nitatem per essentiam, secundum hu-  
 manitatem verò, per unionem Hy-  
 postaticam, & sua merita:

Theandrica.

D O G M A X.

*In Eucharistia non est verè, & propriè, ac  
realiter, & substantialiter corpus ac  
sanguis Christi. Ita Calviniani &  
Zvingliani.*

A N A L Y S I S

**P**RO vera, reali, propria ac substan-  
tiali præsentia corporis, & sangui-  
nis Christi in Sacrosancta Eucharis-  
tia tam clara sunt Scripturæ sacræ  
testimonia, ut ea dissolvere Calvini-  
stæ nullatenus queant, cujusmodi  
sunt sequentia: *Panis, quem ego dabo, ca-  
ro mea est pro mundi vita* Joan. 6. v. 52.  
*hæc est corpus meum, quod pro vobis da-  
tur* Luc. 22. v. 19. *Panis, quem frangimus,  
nõnne participatio corporis Domini est?* I.  
ad Cor. 10. v. 16. *Quicumque manduca-  
verit panem hunc, vel biberit calicem*

*Domini indignè , reus erit corporis & sanguinis Domini. I. ad Corinth. II. v. 27.* Sed potissimum fundatur hæc veritas Catholica in verbis illis Christi, quibus instituit Eucharistiam: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : Hic est sanguis meus , qui pro vobis effunditur.* Unde Calvinistis nullum patet effugium hanc veritatem negandi , nisi dicant vel DEUM non posse hoc facere , ut idem corpus Christi sit in Cælo, & simul in terra ; & quidem in terra in tot locis , uno eodémque tempore : Adeoque non esse omnipotentem: vel verò quòd Christus afirmando panem esse corpus suum, & vinum sanguinem suum non dixerit verum ; vel quòd Christus proferendo hæc verba , non fuerit locutus seriò, ac propriè. Vel nisi citatos textus more suo depravent. Resolvamus proinde singula eorum effugia , & primum tali ratione.

DEUS



DEUS est omnipotens, & apud DEUM nihil est impossibile, nisi quod in se contradictionem involvit. Item DEUS potest majora facere quàm intellectus noster comprehendere, ita ut si tantùm ea facere posset DEUS, quæ assequi poterit intellectus creatus, non esset omnipotens. Quia omnis creatus intellectus est limitatæ potentiæ, omnipotentia autem DEI est prorsus absque omni limitatione. Et sic ex eo, quòd sit DEUS omnipotens, inferimus quòd DEUS potuerit creare, & credimus quòd creaverit ex nihilo hunc mundum, esto limitatus noster intellectus pro verissimo axiomatico nobis dicat, quòd *ex nihilo nihil fiat*: ergo à fortiori inferre debemus, quòd DEUS unam substantiam possit mutare in aliam substantiam. Magis siquidem inter se distant aliquid, & nihilum, quàm duæ substantiæ inter se. Deinde fide tenemus,

D 7

quòd

quòd Christus in nuptiis Canæ Galilææ mutaverit substantiam aquæ in substantiam vini. Cur ergo dubitant Calvinistæ, an Deus possit mutare substantiam panis in substantiam carnis, & substantiam vini in substantiam sanguinis Christi? Ecce verbo DEI firmati & producti sunt Cœli, & per verbum DEI facta sunt omnia quæ facta sunt, Cœlum non erat, & dixit DEUS fiant Cœli, & facti sunt. Sol, Luna & Stellæ non erant, & dixit DEUS ut fiant, & facta sunt. Terra non erat, & dixit DEUS fiat Terra, & facta est. Et jam idem verbum DEI per quod facta sunt omnia, dicit de pane: Hoc est corpus meum Eucharisticum, & de vino Eucharistico: *Hic est sanguis meus*, & Calvinistæ Christo reponunt: Non est corpus tuum: non est sanguis tuus. Quare? quia inquirunt hoc fieri non potest Quanta hæc pertinacia! Igitur hoc effugium primum  
 cal.

Calvinistarum nullo modo subsistit.  
 Et nonne magis supra captum natu-  
 ralis intellectus est (ut credatur Virgo  
 posse concipere, Deum posse fieri  
 hominem) æternum, nasci in tempo-  
 re, & tamen hæc omnia fide firmissi-  
 mæ credimus. Quare, Quia apud  
 DEUM nihil est impossibile, (ut dixit  
 Gabriel Archangelus ad Mariam )  
 quàm corpus Christi esse simul in  
 pluribus locis, & ut ipsamet veritas  
 testatur, quæ sunt apud homines im-  
 possible, apud DEUM sunt possibi-  
 lia.

Secundum autem effugium Cal-  
 vinistarum in hoc puncto esset ma-  
 nifesta & maxima blasphemia; Chri-  
 stus siquidem est ipsa veritas, estque  
 verus DEUS, adeoque essentialiter  
 verax in dicendo, ergo dum dixit in  
 ultima Cæna de pane: *Hoc est corpus  
 meum. Et de vino: hic est sanguis meus;*  
 verum dixit.

Sed

Sed neque Tertium effugium iuvat Calvinistas, & Zvinglianos. Hæc namque verba Christi: Omnes Apostoli & Sancti Patres, & Scripturæ sacræ Interpretes primitivæ Ecclesiæ, in proprio, vero, ac reali sensu acceperunt & intellexerunt sæper. Longū esset hîc sanctorum Patrum testimonia hac in parte adducere, quæ jam in aliis meis opusculis adduxi copiosissimè. Unum vel alterum saltem producam, quorum primus sit Origenes qui in Homilia 5. in varia Scripturæ Sacræ loca hæc habet: *Quando manducas & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Calvinistæ autem dicunt: Non ingreditur, sed manet in Cælo. Secundus S. Hilarius, qui lib. 2. de Trinitate, loquens de Eucharistia sic scribit: *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* Nisi apud Calvinistas & Zvinglianos. Tertius

tias sit S. Damascenus lib. 4. de Fide.  
*Non est inquit signum corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc; sed est ipsum corpus Domini deificatum.* Et tamen Calvinistis novis Carpharnis, durus videtur esse hic sermo.

Quartam autem & postremam effugium circa hanc veritatem est impostura gravissima. Si enim depravatio Testamenti alicujus Testatoris inter homines est gravis impostura, quantò major erit depravatio verborum Christi, qui nobis Institutionem Eucharistiae in ultima Cœna pro Testamento reliquit. Nihilominus Calvinistae aliter errorem suum defendere minimè valentes ad has ineptias, vel potius nequitias non erubescunt confugere. Hinc Beza clarissimum illum textum Scripturae Luc. 22. v. 20.  
*Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur*  
 (ubi illud qui refertur ad Calicem, &  
 pater

pater ex græco-textu, qui de verbo ad  
 verbum sic habet : *Hoc poculum no-  
 vum, Testamentum est in meo sanguine,  
 quod pro vobis effundetur*) sic pervertit.  
 Hoc poculum novum testamentum  
 est, in meo sanguine, qui pro vobis ef-  
 funditur. Alii autem Cal. inistæ lon-  
 gè adhuc deterius, cum alii hæc ver-  
 ba Christi, *Hoc est corpus meum* ver-  
 tunt: Hoc est signum corporis mei;  
 vel Hæc est figura, vel Symbolum  
 corporis mei: alii in verbis illis, *Hic ca-  
 lix, novum Testamentum est in meo san-  
 guine*, illud *Hic* accipiendum esse  
 ajunt adverbialiter, & nomen calicis  
 metonymicè, alii aliter prout unius-  
 que Spiritus suus privatus, vel potius  
 spiritus vertiginis dictat. Et Luthera-  
 ni: *In hoc pane, & cum hoc pane, & sub  
 hoc pane est corpus meum*. Omnes pessimè,  
 & verba Evangelii depravantes,  
 & tamen dici volunt Evangelicè,  
 quod nomen illis quidem convenit,  
 sed

sed non alio sensu, quam Scipio dictus est Africanus, eò quòd Africam devastaverit.

His argumentis, & claris Scripturæ textibus convicti nonnulli Calvinistæ concedunt, sumi quidem à nobis in Eucharistia corpus & sanguinem Christi, sed non nisi per fidem. Contra quos sic arguo:

Per te, qui sic sumis corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia fide sumitur verum corpus & verus sanguis Christi, *si fide*, sive per actum fidei. Ergo hic actus debet inniti Revelationi Divinæ. *si hoc*. Ergo talis actus est essentialiter verus. Si est verus essentialiter, debet esse conformis tuo objecto. *si hoc*. Ergo debet sic se habere objectum hujus actus, sicuti per illum enunciatur. Tu dicis per actum fidei te in Eucharistia sumere verum corpus & sanguinem Christi, ergo in Eucharistia est verè & realiter corpus

pus Christi. Vel hic actus fidei tuæ est falsus. Nequit autem actus fidei esse falsus Ergo.

Neque hîc valentes subsistere Calvinistæ, recentiores tenent actum fidei, quo quis credit se in Eucharistia sumere corpus, & sanguinem Christi non habere pro objecto veram & realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia; Sed, illud corpus Christi, quod passum est pro nobis, & illum sanguinem, qui effusus est pro nobis in Cruce, nunc verum esse in Cælis. Hunc verò actum fidei in eo consistere, quòd per illum credamus tam certò prodesse animabus nostris corpus pro nobis passum, sanguinem pro nobis effusum quàm certi sumus, quòd panis, quem sumimus, & vinum, quod bibimus in Eucharistia, profint sustentationi, & alimento corporis. Sed contra est. Quia hac ratione sumptio panis & vini in Eucharistia,



ristia , non differret à communis pan-  
 nis, & vini sumptione, quia & in hac  
 communi sumptione habemus ta-  
 lem actum fidei. In quem igitur finem  
 essent tam seriæ admonitiones S.  
 Pauli Apostoli , ut accedentes ad  
 hanc mensam nos prius probemus. I.  
 Cor. II. v. 28. Quem in finem essent il-  
 læ minæ indignè accedentibus ad  
 hanc mensam , *Quicumque manducat  
 panem hunc, & biberit indignè, iudicium  
 sibi manducat & bibit, non dijudicans  
 corpus Domini.* Ibidem v. 29. hoc est,  
 non discernens corpus Domini ab  
 aliis cibis profanis, communibus, &  
 indifferentibus. *Neque enim* ( ut ait S.  
 Justinus ) *Eucharistiam ut communem  
 cibum sumimus, sed credimus, quòd sicuti  
 per verbum DEI, DEI Filius factus est  
 homo, ita per verba consecrationis in Eu-  
 charistia fiat, & sit caro ac sanguis Chri-  
 sti.* Quid clariùs posset dici pro sen-  
 tentia & doctrina orthodoxa circa  
 præ-

præsentiam realem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia?

## DOGMA XI.

*Liberum Arbitrium in homine non datur, sed est figmentum in rebus, & Titulus sine re (ut ait Lutherus, in assertionione articuli 36.) Quia nulli est in manu sua quidpiam cogitare mali aut boni. Idem sensit Calvinus lib. 2. Institutionum cap. 23. §. 8 Nimirum omnia fieri necessario, nihil liberè.*

## A N A L Y S I S.

**S**I nihil fit liberè, sed omnia necessario. Ergo neque poterimus pro arbitrio nostro stare, vel sedere, vel ambulare, comedere aut bibere, agros & vineas colere, vel illarum culturam ommittere, vendere aut emere, dare aliquid alicui, vel ab alio accipere,

re, negotium aliquod vel iter suscipere, aut non suscipere. Quæ omnia sunt contra quotidianam & manifestam experientiam, ut merito Scotus dixerit, non rationibus refutandum esse, qui arbitrii libertatem negat; sed fustibus, quibus tam diu concutiendus esset, donec fateretur in nostra potestate esse, à verberando abstinere & cessare, quod si is de injuria sibi facta conquereretur, respondendum ei esset, frustra conqueri, si nihil arbitrio, sed omnia necessitate gerantur. Qui ubi fateretur percutientem libere, à percussione posse cessare, admittere etiam deberet, quod aliqua actio sit libera. *Si hoc*, admittere quoque deberet hoc suum Dogma: nimirum, quòd omnia fiant necessariò, & nihil libere, sit falsissimum. Sunt equidem hæc duo sibi contradictoria: aliquid non fieri necessariò, & omnia fieri necessariò: Item aliquid fieri libere, &

ni-

nihil fieri libere, intellectus enim non potest assentiri duobus contradictoriis simul. Convicti hâc manifestissimâ experienciâ nonnulli hi Novatores dicunt, id quidem verum esse, quòd arbitrium liberum insit hominibus, quoad actus naturales, non item quoad actus politicos seu civiles. Sed contra est; Ergo jam fatentur universaliter hoc Dogma, *liberum arbitrium in homine non datur, sed est figmentum in rebus, & titulus sinè re*, esse falsum. Quandoquidem admisâ particulari affirmativâ, necessariò falsa est universalis negativa. Contra est *Secundò*. Quia si non daretur etiam in rebus politicis, & civilibus liberum arbitrium, frustranea esset omnis de rebus agendis consultatio, & deliberatio. *Si hoc*. frustranea etiam esset alterutrius partis deliberatio, vel deliberandæ electio. *Si hoc*: Frustranea etiam esset alterius partis optio. *Si hoc*.

Fru-

Frustranea etiam esset de rebus a-  
 gendis ratiocinatio. *Si hoc.* Frustranea  
 esset omnis de rebus agendis cogita-  
 tio, & præcogitatio. *Si hoc.* Nihil age-  
 retur ex dictamine rectæ rationis. *Si*  
*hoc.* Ergo omnia, quæ agerent homi-  
 nes, agerent ex solo instinctu naturæ.  
*Si hoc.* Ergo omnes operarentur more  
 brutorum. *Si hoc.* Ergo nullus daretur  
 actus humanus. *Si hoc.* Ergo frustra-  
 nea essent omnia de negotiis suscipi-  
 endis consilia. *Si hoc.* Ergo inutilis es-  
 set omnis Magistratus. *Si hoc.* Ergo  
 frustranei essent Reges, ac Principes,  
 eorûmque Leges, frustranea eorun-  
 dem decreta, mandata, & statuta. *Si*  
*hoc.* Ergo non deberent puniri fures,  
 adulteri, homicidæ, & alia enormia  
 scelera: Quia hæc omnia ab homini-  
 bus fierent ex necessitate, & non libe-  
 re, & consequenter non deberent iis  
 imputari pro culpa. Ergo nec imponi  
 iis pœna. Omnis siquidem rationabi-

E

lis

lis pœna supponit culpam, & omnis culpa debet esse voluntaria & omne voluntarium involvit libertatem, & omnis libertas liberum arbitrium. Atqui hæc omnia sunt absurdissima. Ergo debet admitti liberum arbitrium in homine, etiam in rebus civilibus seu politicis. Hoc etiam argumento convicti nonnulli ex adversariis, admittunt dari liberum arbitrium in homine, in rebus civilibus etiam & politicis; negant tamen illud dari in actionibus moralibus, bonis, vel malis, hoc est in peccatis cavendis, & operibus salutaribus exercendis. Sed contra est, quia ut fatentur ipsi adversarii, & constat ex illo Eccl. 15. v. 14. *DEVS ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & precepta sua, Si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrigere manum tuam.*

tuam. *Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ergo protoparentes nostri constituti, seu conditi à DEO sunt cum libero arbitrio ad bonum vel malum, ad servanda præcepta DEI, vel ea relinquenda ad vitam animæ conservandam, vel mortem illius accersendam, & voluit omnes posteros eorundem esse præditos hoc libero arbitrio, sicuti voluit eos præditos esse ratione & voluntate. Jam sic: si homo ab initio suæ creationis fuit præditus libero arbitriò ad bonum vel malum, & hoc illi non est sublatum, etiam nunc illud habet (sicut habet rationem, & voluntatem) Atqui liberum arbitrium etiam ad bonum vel malum, non est illi sublatum: ergo de facto etiam illud habet. Probatur minor. Si liberum arbitrium etiam quoad bonum & malum fuisset sublatum homini, illud sublatum fuisset,

E 2

vel

vel 1. per peccatum originale, vel 2.  
 per peccatum personale, vel 3. ratio-  
 ne gratiæ DEI, cui non posset dissen-  
 tire, vel 4. per præscientiam DEI, vel  
 5. per voluntatem DEI, vel 6. per  
 prædestinationem, ac providentiam  
 DEI. Per nihil horum est ei subla-  
 tum. Ergo absolutè non est ei subla-  
 tum. Ergo manet in illo adhuc libe-  
 rum arbitrium etiam quoad morale  
 bonum vel malum. Probatur subsum-  
 pta minor per singulas partes. Et pri-  
 mò quidem liberum arbitrium ho-  
 mini non est sublatum per peccatum  
 originale. Nam etiam post illud fuit  
 in hominibus inter duo electio & op-  
 tio. Ut patet ex illo Deuteronomii  
 30. v. 19. *Testes invoco Cælum & Ter-  
 ram, quòd proposuerim vobis vitam &  
 mortem, benedictionem, & maledictio-  
 nem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, &  
 semen tuum* Et Jos. 24. v. 15. *Sin autem  
 malum vobis videtur ut Domino servi-*  
as,



*atis, optio vobis datur. Eligite hodie, quod placet cui servire potissimum debeatis. Et 2. Reg. 24. v. 12. Trium tibi optio datur, elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi.* Ergo etiam post peccatum Adæ, seu originale, fuit in homine arbitrium liberum faciendi vel non faciendi, transgrediendi præceptum, vel illud observandi, eligere vitam aut mortem; Ubi enim datur electio & optio inter duo, datur libertas ad illa duo; libertas autem actualis non potest esse sine libero arbitrio. Actus siquidem secundus non tollit actum primum seu potentiam, sed eam supponit.

Per peccatum igitur originale amissimus solum gratiam habitualem, seu statum innocentiae, non verò liberum arbitrium, sicut non amissimus ratiocinationem, seu intellectum ac voluntatem. Fatendum tamen est, per peccatum originale liberum ar-

E 3

bitrium

bitrium esse in nobis labefactatum , non quidem quoad vires , & quoad actus naturales , sed quoad actus supernaturales , ac proinde non posse illud tam multa præstare , quàm si iisdem donis instructum esset , quibus fuit in statu innocentiae , quæ tamen vires suppleantur & reintegrantur per gratias DEI actuales . Atque sic fides Catholica & Orthodoxa medium tenet inter duas sibi oppositas hæreses : Pelagianam scilicet & Calvinianam , quarum illa nimis multum , hæc verò nihil tribuit libero arbitrio .

Sed neque Secundò tollitur liberum arbitrium per peccatum personale . Nam Cain occidendo Fratrem suum Abel , commisit peccatum personale , & tamen illi dictum est à DEO : *Sub te erit appetitus eius , & tu dominaberis illius .* Gen. 4. v. 7 Unde S. Augustinus lib. de vera religione cap. 14. ait : *Vsq̄ue adeò peccatum voluntarium*

*rium est malum, ut nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium.* Ergo hoc ipso quòd quis peccat, voluntariè seu liberè peccat, ergo habet liberum arbitrium ad peccandum, vel non peccandum, sive ad ponendum peccatum, sive ab illo abstinendum.

Sed neque Tertiò tollitur liberum arbitrium per gratiam, imò potius perficitur per illam. Et quidem de gratia habituali, seu justificante est certum, hæc enim non destruit naturam, sed eandem sanat, ac roborat ad bene agendum. De præveniente autem seu excitante gratia probatur. Hæc siquidem datur nobis à DEO ad bene operandum, ita tamen ut eidem assentiri, & cooperari, vel etiam eidem dissentire ac illam rejicere valeamus. Aliàs enim frustranæ essent Scripturæ sacræ admonitiones, ut DEO vocanti & excitanti assentiamur. Ut Zachariæ 1. & Ezechielis 18.

v. 30. *Convertimini & agite pœnitentiam.* Frustraneæ item essent divinæ comminationes, si eidem non consentiamus. Ut Jer. 7. v. 13 *Vocavi vos, & non respondistis: Et Ita 50. v. 2. Vocavi, & non erat qui audiret.* Frustra Judæos S. Stephanus protomartyr reprehendisset verbis illis, *vos semper Spiritu sancto resistitis* Actor. 7. v. 51. de gratia autem adjuvante & cooperante dubium esse non potest, hæc enim cum actu adjuvet & cooperetur libero arbitrio, ac voluntati operanti, liberum arbitrium non tollit, sed illud supponit; Nam ut S. Augustinus ait sermone 13. de verbis Domini: *Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Et lib. de Spiritu, & liberaliter cap. 34. *consentire vocationi DEI, vel dissentire propriae voluntatis est.* Non denique sublatum est homini liberum arbitrium per præscientiam, vel voluntatem, vel providentiam, vel prædestinationem DEI,  
 DEUS

DEUS enim præscit nostra opera eo modo, quo futura sunt; futura autem sunt contingenter scilicet & libere: ergo præscit illa futura libere. ERGO præscientia DEI, non facit ut sint non libera. Voluntas autem DEI fuit, & est, ut homo possit libere operari, & libere operetur; ut possit facere, ac eligere bonum, vel malum, extendere manum ad ignem, vel aquam; servare mandata sua, vel ea prætermittere. Denique operari humano modo, & non brutali, seu ex libera electione; ex dictamine rationis, & non ex solo instinctu naturæ. Providentia demum, ac prædestinatio ex parte DEI nihil aliud est, quam voluntas ejus & præscientia DEI. (Quarum neutra lædit libertatem humanam, ut jam est dictum) quâ præscit nos gratiæ excitanti cooperaturos, hancque nobis decernit in vitam æternam, quæ omnia cohærent cum li-

E s

bertate.

bertate. Ergo nihil est, per quod sublatum fuisset liberum arbitrium, cum quo creatus est homo. Si nihil tale est per quod fuisset sublatum, ergo liberum arbitrium manet in homine.

Postremum facio instantiam ex hac ipsa presentè materia. Proponuntur hæ duæ assertiones alicui: datur in homine liberum arbitrium, & non datur liberum arbitrium in homine, cum suis motivis & rationibus saltem apparentibus utrinque, ego eligo assertionem affirmativam utique liberè, tu eligis negativam, utique etiam liberè. Ergo dum negas dari liberum arbitrium, in actu exercito illud admittis. Ergo datur in homine liberum arbitrium: Unde S. Augustinus lib. de quantitate animæ Cap. 36. ait: *Datur inquit in homine liberum arbitrium, quod qui nugatoriis argumentationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ipsa quidem vana & sacrile-*

*crilega, propria voluntate se dicere intel-  
ligant. Atque hanc suam, & nostram  
sententiam sic concludit. (Epist. 46.)  
Credite divinis eloquiis, quia liberum est  
hominis arbitrium.*

## D O G M A XII.

*Ecclesia à Christo fundata, & per Apo-  
stolos propagata, fuit vera Christi Ec-  
clesia, una, Sancta, Catholica & A-  
postolica, sine ulla macula aut errore  
in Doctrina fidei, & hac ipsa diceba-  
tur etiam Romana Ecclesia, duravit-  
que aliquot primis Seculis, ac mansit  
sana ac integerrima doctrina in rebus  
fidei, postea tamen defecit: ac rursus  
per Lutherum & Calvinum est refor-  
mata.*

## A N A L Y S I S.

**C**UM Ecclesia vera fundata sit ab  
ipso Christo Domino; utique  
fundata fuit sapientissimè, erat liqui-  
dem

dem Christus ipsa Patris sapientia. *Si hoc.* Ergo ad minimum eo modo, quo ipse Christus virum sapientem docuit sibi ædificare, & fundare domum. *Si hoc.* Ergo Ecclesiam suam fundavit supra solidam & firmam petram, sic enim Christus virum sapientem describit, Matt. 7. v. 24. *qui ædificavit, domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Si sic fundavit suam Ecclesiam Christus, debuit illa esse durabilis & stabilis. *Si hoc.* Ergo debuit esse ita durabilis & stabilis, ut nec descendentibus pluviis, nec venientibus fluminibus, nec flantibus ventis, hoc est persecutionibus, oppugnationibus, ac adversitatibus irruentibus in illam caderet, imò ut nec portæ inferi adversus eam prævalerent Matt. 16. v. 18. Atqui si defecisset aliquando

in



in doctrina fidei, descendentibus plu-  
 viis adversitatum, vel errorum, ve-  
 nientibus fluminibus persecutio-  
 num, flantibus ventis oppugnatio-  
 num, ac irruentibus in illam, cecidif-  
 fet, & portæ inferi adversus eam præ-  
 valuissent, ergo non fuisset fundata  
 supra petram solidam. *Si hoc.* Ergo  
 non fuisset fundata à sapienti viro. *Si  
 hoc* Ergo non à DEO homine, seu  
 Christo Domino, quod tamen est  
 primum hujus dogmatis suppositum.  
 Falsa item evasisset promissio Chri-  
 sti, quod portæ inferi adversus illam  
 non prævalebunt, si aliquo temporis  
 successu Ecclesia sic ab eo fundata, in  
 doctrina fidei defecisset, quod vel co-  
 gitare, blasphemia est.

Rursus, Cùm sapientissimè Chri-  
 stus Dominus Ecclesiam suam insti-  
 tuerit, & voluerit eam usque ad fi-  
 nem mundi durare juxta suum com-  
 promissum Matth. ult v. ultimo. *Et ec-*

*ce ego vobiscum sum omnibus diebus*  
 (hoc est sine intermissione) *usque ad*  
*consummationem Seculi.* Et Psal. 47. v.  
 9. *Fundavit eam in aeternum*, nempe  
 Ecclesiam suam (ut exponit S. Augu-  
 stinus, & res ipsa clamat, nam totus il-  
 le Psalmus est de fundatione Ecclesiae  
 Christianae tamquam novae, conspi-  
 cuae, & clarissimae Civitatis) atque in-  
 tenderit, & praeceperit, ut eam  
 omnes fideles audiant, & qui eam  
 non audierit, sit sicut Ethnicus, & Pu-  
 blicanus, debuit eam sic instituere, ut  
 fideles possent, & adire illam, & au-  
 dire. *Si hoc.* debebat fidelibus consta-  
 re, ubinam, & quanam illa sit Eccle-  
 sia, ergo debebat esse visibilis, & con-  
 spicua. Ergo invisibilis Ecclesia non  
 est Christi Ecclesia. Ergo cum vera  
 Christi Ecclesia semper esse visibilis  
 debebat, etiam debebat esse in per-  
 petuum durabilis. Et indefectibilis.  
 Ergo in doctrina fidei non potuit de-  
 scere.

Rur-

Rursus, Christus sic instituit suam  
 Ecclesiam, ut Episcopi, & Pastores in  
 illa gubernent ejusdem ceteros fide-  
 les, & ut illos doceant, ac illis fidei sa-  
 cramenta administrent; peccantes  
 corrigant: contumaces ab aliorum fi-  
 delium cœtu, & communione sepa-  
 rent, & vicissim ut reliqui fideles  
 agnoscant suos Pastores, eorum mo-  
 nitis obtemperent, instructionem &  
 Sacramenta ab iis percipiant, juxta  
 illud Matt. 18. v. 17. Dic Ecclesiæ. & E-  
 pist. ad Hebr. 13. v. 17 *Obedite Præpositis  
 vestris, & subjacete eis, ipsi enim per vigi-  
 lant quasi rationem pro animabus ve-  
 stris reddituri.* Ergo Pastores illi debe-  
 bant esse visibiles, & fideles visibiles:  
 ergo totus cœtus fidelium visibilis.  
 Ergo tota Ecclesia est visibilis. Et quia  
 Apostoli, & Episcopi initio Ecclesiæ  
 constituti nec potuerunt semper vi-  
 vere, & tamen Ecclesia per illos debe-  
 bat gubernari usque ad consumatio-

nera

nem Sæculi necessario debuerunt habere alios, qui sibi succederent in potestate, & in doctrina eadem, & hiterum alios & alios, adeoque perpetuam ac continuam successionem, quæ duo si non habeat aliqua Ecclesia, non debet haberi pro Christi Ecclesia. In neutro horum defecit Romana Ecclesia; sed habuit ac retinuit semper hanc successionem usque ad præsens tempus: ergo absolute non defecit.

Rursus, Si Ecclesia à Christo instituta aliquamdiu quidem mansisset sanæ ac integerrimæ doctrinæ in materia fidei, sed postmodum ab ea defecisset (uti temere asserunt Adversarij) iidem etiam incumberet ostendere, & probare, ac assignare tempus, vel saltem Sæculum, quo ea inceperit à vera illa doctrina fidei deficere, vel actu defecerit; quâ occasione; sub quo Pontifice, vel Imperatore; an in  
 uno

uno articulo fidei; & fucceſſivè, an in  
 uno loco &, in quo: vel tota ſimul, &  
 in omnibus partibus orbis. Ecce ad  
 ſingula interrogata hærent adverſa-  
 rii & planè non ſubſiſtunt in hoc exa-  
 mine. Hinc in ſolo tempore hujus  
 defectioſis aſſignando titubant val-  
 de (ad alia autem quæſita nihil ha-  
 bent quod reponant) & diſconveni-  
 unt inter ſe ſummè, dum alii exiſ, di-  
 cunt in Eccleſia Romana integram,  
 & incorruptam doctrinam fidei man-  
 ſiſſe primis quatuor Sæculis, alii  
 quinque, alii ſex primis Sæculis, alii  
 uſque ad Sæculum octavum eam du-  
 raſſe ac permanſiſſe concedunt. Sed  
 æquè ſunt inconvenientia illorum  
 Teſtimonia, ac fuerint duorum illo-  
 rum nequam ſenium, qui accuſârunt  
 Suſannam innocentem de adulterio,  
 vel illorum falſorum teſtium, qui no-  
 viſſimè falſum ſuum teſtimonium  
 protulerunt in Chriſti paſſione. Ego  
 autem

autem libero illos à molestissimis his  
 responsionibus, ad simile quæsitum,  
 negando suppositum, quod unquam  
 Ecclesia Romana defecerit in doctri-  
 na fidei à prima sui institutione per  
 Christum, & propagatione per Apo-  
 stolos. Quod sic demonstro. Si eadem  
 nunc quoque est, & semper fuit do-  
 ctrina fidei in Ecclesia Romana, quæ  
 erat in ea primis illis Sæculis à sua per  
 Christum institutione, & per Apo-  
 stolos propagatione, tunc Ecclesia Ro-  
 mana nunquam defecit à prima sui  
 institutione. Sed defacto quoque est  
 eadem doctrina fidei in Ecclesia Ro-  
 mana, quæ fuit primis illis Sæculis.  
 Ergo. Ut minorem probem, affero  
 aliquot generales Veritates seu Ti-  
 tulos, ad quos omnes aliæ moderni  
 temporis controversiæ revocari pos-  
 sunt, & revocantur. Sunt autem se-  
 quentes: **I. De Realitate, & Transub-**  
**stantia-**

stantiatione in Eucharistia, nec non  
 Sacrosanctæ Missæ Sacrificio 2. De  
 honore & invocatione Sanctorum. 3.  
 De Ufu, ac veneratione Sacrarum  
 Reliquiarum, & imaginum, præcipue  
 verò Sanctæ Crucis, 5. Fidem ad so-  
 lam salutem non satis esse, nisi cum  
 bonis operibus, & divinorum man-  
 datorum observatione. 6 Bona opera  
 divinæ gratiæ ope subnixæ, digna ef-  
 se, ac meritoria vitæ æternæ. 7. De ab-  
 stinentia à certis cibis, ac servando je-  
 junio Ecclesiastico, præsertim Qua-  
 dragesimali. 8. De Cœlibatu Sacer-  
 dotum, ac Religiosorum, atque votis,  
 & cæromoniis professionis Ecclesia-  
 sticæ ac Religiosæ. 9. De Sacramento  
 Pœnitentiæ ejusve partibus, maximè  
 Confessione, & Sacerdotali Absolu-  
 tione. 10. De Purgatorio, & precibus  
 aliisque suffragiis pro Defunctis. 11.  
 De Primatu Petri in Romana Ec-  
 cle-

✠

clesia, 12. De Ecclesiæ authoritate, er-  
 rorisque immunitate in suis decisio-  
 nibus, decretis, & Traditionibus. Cir-  
 ca quas veritates, & Propositiones  
 quidquid tenet, ac docet Romana  
 Ecclesia, & tenuit, vel docuit priori-  
 bus Sæculis, id totum tenuit, ac do-  
 cuit eadem Ecclesia Romana à Chri-  
 sto instituta, & per Apostolos propa-  
 gata primis illis Sæculis à sui institu-  
 tione, at manifestè patet ex SS. PP. &  
 Scriptoribus primorum illorum Sæ-  
 culorum, quorum Testimonia fusè  
 deducit Jacobus Guasterus in sua Ta-  
 bula Chronologica statûs Ecclesiæ  
 Catholicæ à Christo nato usque ad  
 Annum 1604. quibus ego brevitatis  
 causâ hîc omîssis nomina solùm illo-  
 rum Scriptorum pro singulis Sæculis  
 hîc adduco. Ex primo igitur Sæculo,  
 nobiscum de his veritatibus censuê-  
 re, ac idem tenuêre, ac docuêre, quod  
 nunc tenet, ac docet Romana Ca-  
 tholi-



tholica, sequentes Sancti Patres: S. Dionysius Arcopagita, S. Ignatius Martyr, S. Clemens Romanus, S. Martialis, qui erant Scriptores Ecclesiastici hujus primi Sæculi. Ex Secundo Sæculo S. Alexander P. & M. S. Sixtus P. & M. S. Telesphorus P. & M. S. Hyginus P. & M. S. Pius Papa & M. S. Soter P. & M. qui cum fuerint Pontifices Romani hoc Sæculo, sciverunt sinè dubio optimè, quid tunc tenuit & docuit Ecclesia Romana. Item S. Justinus Martyr. S. Irenæus, Tertullianus, S. Theophilus Antiochenus, Athenagoras.

In Tertio Sæculo. Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Hypolitus M, S. Cyprianus, S. Methodius, S. Cornelius Papa. S. Felix Papa Veronensis. S. Victorinus Episc. & M. Julius Africanus & alii.

In Quarto. Concilium Generale Nicænum, S. Athanasius, S. Sylvester  
Papa

Papa M. Eusebius Cæsariensis, S. Hilarius, S. Gregorius Nyssenus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Basilius Magnus, S. Macarius Ægyptius, S. Epiphanius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Ambrosius, S. Optatius Milevitanus, Prudentius, Lactantius Firmianus.

Ex Quinto Sæculo , S. Joannes Chrysoſtomus, S. Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, S. Proclus Constantinopolitanus, S. Eucherius, S. Petrus Chryſologus, S. Isidorus Pelusiota, S. Victor Uticensis, S. Leo Magnus Papa.

Ex Sexto Sæculo. S. Gregorius Turonensis, Aurelius Cassiodorus, S. Gregorius Magnus, S. Fulgentius, S. Benedictus, Procopius, S. Joannes Climacus, Cassiodorus. Omitto innumeros hujus & aliorum præteritorum Sæculorum Scriptores, & repono primum argumentum.

Pri-

Primis tribus, vel quatuor vel quinque, vel sex etiam Sæculis, ipsis Adversariis ultrò fatentibus fuit in Ecclesia Romana, & Catholica, vera, Sancta, Apostolica, & ab omni errore libera in Doctrina fidei. Sed hæc fuit eadem penitus quoad omnes omnino paulò ante allatos Articulos, & enumeratas 12. Veritates ac generales propositiones ( ad quas omnes aliæ controversiæ referuntur ) quas nunc tenet, & docet, ac profitetur Romana Ecclesia. Ergo moderna Romana Ecclesia nunquam defecit à doctrina fidei primitivæ, à Christo institutæ, & per Apostolos propagatæ Christi Ecclesiæ.

Transeo jam ad ultimum membrum hujus 12. Dogmatis A catholicorum, nempe quòd postquam defecisset post aliquot Sæcula Christi Ecclesia, rursus per Lutherum & Calvinum fuerit reformata ( rectius deformata )

S. Hi-  
S. Gre-  
us Ma-  
S. Epi-  
ymita-  
Milevi-  
s Fir-

annes  
S. Cy-  
etus, S.  
S. Eu-  
S. Ni-  
centis,

gogorius  
us, S.  
ius, S.  
annes  
to in-  
erito-  
repo-

Pri-

mata) & quæro ab Adversariis i. Utrum per utrumque fuerit reformata, vel per alterutrum? Non potest dici primum. Quòd scilicet hæc reformatio Ecclesiæ fuerit facta per utrumque. Quia in multis planè sibi oppositam doctrinam tenuerunt, & traderunt, & Lutherus Calvinum nec pro Confratre tenet, multò minùs igitur pro Conreformatore voluit illum agnoscere. Sed neque dici potest quòd hæc reformatio facta fuerit per alterutrum. Quia pro uno non est major ratio, an debeat potius dici Reformator, quam pro alterò. Neque unus adfert majus argumentum suæ missionis à DEO ad hoc munus, quàm alter, sed in utrumque quadrat illud Jeremiæ 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad illos, & ipsi prophetabant.*

Quæro dein Secundò. Cur non ponant in numero Reformatorum  
et-

etiam *Michaëlem Servetum*, Novorum Arianorum Authorem, certè etiam is incubuit in veteris Ecclesiæ everfionem, & fortè vehementiùs quàm Lutherus & Calvinus. Quod quidam ingeniosè exprimere volens, pinxit elegantiffimam Ecclesiam, supra cujus tectum conscendens *Lutherus*, illius scandulas, & àmblices dejiciebat & excutiebat. *Calvinus* verò parietes ejusdem Ecclesiæ arietabat, & perforare conabatur. *Servetus* autem ipsa fundamenta illius aggressus, illa suffodere tentabat. Et hi sunt Ecclesiæ Christi Reformatores? Absit. Sunt potius ejusdem deformatores, invasores, hostes, & impugnatores, non tamen expugnatores. Quia Ecclesia Romana fundata est supra firmam, & solidam Petram, ac proinde oppugnari quidem potest, at non expugnari, sed sicut semper invicta stetit, & stat, ita invicta stabit usque ad

F

608-

consumationem Sæculi. Est siquidem  
Ecclesia DEI vivi *columna & firma-*  
*mentum veritatis.* 1. Tim. 3 v. 15.

Quæro demum Tertio. Quid Ad-  
versarii intelligant per Reformatio-  
nem Ecclesiæ? Reformatio enim ali-  
cujus rei propriè significat idem ac  
ad pristinam formam, ad nitorem, ac  
integritatem ejusdem reductio. Si igitur  
Lutherus & Calvinus fuissent ve-  
ri reformatores Ecclesiæ, cum ipsi met  
fateantur primis quatuor, vel quin-  
que, aut sex Sæculis, imò jam juxta  
Calvinum ad octavum Sæculum per-  
mansisset in Ecclesia Romana, incor-  
rupta doctrina fidei, debuisset novam  
suam Ecclesiam reducere ad illam  
normam & doctrinam fidei, quæ fuit  
illis primis Sæculis, eidemque per  
omnia conformare. Quod quia non  
præstiterunt, sed potius fecerunt op-  
positum, non sunt dicendi Ecclesiæ  
reformatores, sed deformatores: non  
In-

Instructores, sed destructores: non re-  
 stitutores, sed ejusdem evertores.  
 Pro complemento hujus materiæ in-  
 quiro. 1. Qua potestate Lutherus, &  
 Calvinus fecerint se Reformatores  
 Ecclesiæ. *Nec enim quisquam sibi sumit  
 honorem, sed vocatur à DEO tamquam  
 Aaron.* Heb. 5. v. 4. 2. A quo sunt igitur  
 vocati vel missi ad hoc munus? 3. Si  
 missi, an cum æquali potestate uter-  
 que, vel unus cum majori, ac quod ar-  
 gumentum habet unus hujus majo-  
 ritatis. Si verò æquali potestate: cur in  
 multis, quod unus asserit, alter negat,  
 Et quod unus probat, alter reprobat?  
 Certè apud DEUM non est, *Est &  
 non, sed vel est est, vel non non.* Ergo  
 uterque non est à DEO missus. 4. Si  
 missi? an missione ordinariâ, vel extra-  
 ordinariâ, vel nullâ; si nullâ, in illos  
 quadrat illud Joan. 10. v. 1 *Qui non in-  
 trat per ostium in ovile ovium, sed ascen-  
 dit aliunde, ille fur est, & Latio.* Si verò

F 2

ordi-

ordinariâ vel extraordinariâ , adferant hujus solidam probationem ; ahas enim reddunt se suspectos de gravissima impostura.

## A P P E N D I X.

Dubia cujusdam Evangelici hominis in sua fide scrupulizantis, quæ sibi cupit à suis Pastoribus & Theologis fundamentaliter resolvi & reponi.

**P**Rimo. Prophetæ & SS. Patres in veteri Testamento ante Adventum, Passionem, Mortem, & Resurrectionem Salvatoris JESU Christi demortui, an sint salvati & Cælum ingressi ; vel solùm cum Christo resurgente juxta illud dictum Scripturæ sacræ, *Ascendens ( Christus ) in altum, captivam duxit captivitatem?*

*Respon-*



*Responsio Catholica.*

¶ **N**Ullius omnino Prophetæ, aut Sancti Patris, veteris Testamenti animam fuisse in Cœlum receptam ante Adventum, Passionem, mortem & Resurrectionem Salvatoris nostri JESU Christi, sed post mortem Christi primò eliberatas fuisse à Christo ex Limbo Patrum, & cum resurgente inde eductas, ac demum ascendente Christo in Cœlum receptas esse. Probatur Responsio i. ex Gen. 17. v. 35. Ubi dicit Jacob: *Descendam ad Filium meum* (quem mortuum esse credebat *in Infernum*. Non dicit ad Cœlum; sed neque ad Infernum damnatorum. Ergo ad consortium Patrum, seu receptaculum animarum eorundem, per Messiam inde eliberandarum.

*Secundo.* Ex lib. i. Reg. 28. v. 13. & 15.

F 1

Anima

Anima Samuelis de Terra ascendit, & non ex Cælo descendit. Ergo anima Samuelis non erat tunc adhuc in Cælo

*Tertio. EX I. Petri 3. v. 19. Ubi dicitur de Christo: Et his qui in carcere erant Spiritibus, veniens (post suam mortem) predicavit animabus, scilicet SS. Patrum Veteris Testamenti secundum illud Eccles. 24. v. 45. Penetrabo omnes inferiores partes Terra, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino, Adventum Messiae expectantes & anhelantes, quorum erant vota illa ardentissima: Rorate Cæli desuper, & nubes pluant iustum, & iterum: Aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & Iustitia oriatur simul. Isaia 45. v. 8. Item, utinam disrumperes Cælos & descenderes Isaia 64. v. 1.*

*Quarto. EX illo S. Pauli ad Ephes. 4. v. 9. ET sequentibus: Propter quod dicit Scriptura. (Psal. 67. v. 19. ascendens (Chri-*

(Christus) *in altum. captivam duxit captivitatem* : quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primum & Inferiores partes Terra, quibus verbis clare innuitur, quod Christus ascendens in Cœlum, traxit secum animas Justorum, antea apud Inferos in Limbo capti as. ERGO ante ascensionem Christi nullius Prophetarum & Sanctorum Patrum anima fuit recepta in Cœlum.

## D V B I V M II.

**S**alvator Jesus Christus, an pro totius Mundi, seu Humani generis peccatis, tam Originalibus, quam Actualibus satisfecerit. *Respondetur.* Salvatorem Jesum Christum, pro totius mundi seu humani generis peccatis tam Originalibus quam Actualibus satisfecisse etiam superabundanter, quantum est ex se, seu in actu primo.

Probatum ex Scripturis sacris. Quæ  
 passim testantur & merita, & satisfactio-  
 nem Christi esse copiosissima,  
 quod non esset verum, si non possent  
 se extendere ad delenda omnia  
 omnino peccata humani generis.  
 Hinc I. Joan. 2. v. 2. Christus dicitur esse  
 propitiatio pro peccatis nostris, non pro  
 nostris autem tantum, sed etiam pro totius  
 mundi. Dixi quantum est ex se, seu  
 in actu primo. Quia Christus in actu  
 secundo, seu quoad effectum voluit,  
 ut & nos cooperemur ad salutem no-  
 stram ex ipsius gratia, adhibendo me-  
 dia nobis à se præscripta, cujusmodi  
 medium ad delendum peccatum O-  
 riginale in effectum, seu in actu secundo  
 fuit in veteri Testamento Circumci-  
 sio, in novo autem Testamento est  
 sacramentum Baptismi, juxta illud  
 Christi Joh. 3. v. 5. *Amen Amen dico ti-  
 bi, nisi quis renatus fuerit ex Aqua &  
 Spiritu sancto, non potest intrare in Re-  
 gnum DEI.*

DU-

## D V B I V M III.

**P**Ræter episcopum potestne alter aliquis ver. gr. unus, duo, tres, quatuor, vel plures Sacerdotes, non consecratam Personam in Sacerdotem ordinare & consecrare? Si non: ergo Lutherus non potuit ordinare etiam Sacerdotes; per consequens, nec Successores ipsius, quia non fuit episcopus.

### *Responsio Catholica.*

**S**icut præter Regem, & illum, cui datur specialiter hanc potestatem Rex, unus, duo, tres, quatuor, vel plures Nobiles Hungariæ, non possunt Personam ignobilem nobilitare; ita nec unus, duo, tres, quatuor, vel plures Sacerdotes unam personam non consecratam in Sacerdotem ordina-

F 5

re,

re, & consecrare. Sed hæc potestas est penes solos consecratos Episcopos.

Probatur Responsio ex illo Actor. 14. v. 22 *Paulus, & Barnabas Apostoli (& consequenter Episcopi) constituebant per singulas Ecclesias Presbyteros, & ad Tit. i. v. 5. Hujus rei gratiâ reliqui te Creta, ut constituas per Civitates presbyteros, sicut & Ego disposui tibi.* Ergo ad Episcopos spectat, & quidem solos, consecratio Sacerdotum. Unde bene sequitur, quòd Lutherus, cum fuerit simplex Sacerdos, & non Episcopus, non potuerit alios consecrare in Sacerdotes, & consequenter nec successores illius possint id facere.

#### D V B I V M I V.

**I**N administranda Sacrosancta Cœna Domini seu Eucharistia, finitâ hostiæ, & vini consecratione, ac dictis verbis per Sacerdotem: *Hoc est corpus.*

1779 14 1779,

*meum, Hic est sanguis meus, fitne verum  
Corpus, & verus sanguis Christi, vel  
solummodo in sumptione, & si in ipsa  
sumptione, quare?*

*Responsio Catholica.*

**I**N eucharistia statim ac immedia-  
te, finita hostiæ, & vini consecratio-  
ne, fit Corpus, & Sanguis Christi an-  
te ipsam sumptionem. Patet id ex in-  
stitutione ipsius Christi, à quo prius  
dictum est, *Hoc est Corpus meum: Hic est  
Sanguis meus.* quàm fieret actio man-  
ducandi, aut bibendi. Seu ipsa sum-  
ptio, aliàs Christi verba non essent  
vera (quod absit vel cogitare) in præ-  
senti; sed in futuro hoc erit corpus  
meum, & sanguis meus, ubi illa ince-  
peritis sumere.

Deinde ego ipse Juvenis adhuc  
observavi, quod in aliquibus eccle-  
siis, antequam porrigat hostiam Pa-

Pro communicantibus, ipsi commun-  
 tionem sumere volentes utantur  
 Lutherani verbis formalibus illis, an-  
 tiquæ Ecclesiæ: *Agnus DEI, qui tollis  
 peccata mundi, miserere nobis. Et Domi-  
 ne non sum dignus ut intres sub tectum  
 meum sed tantum dic verbo, & sanabi-  
 tur anima mea.* Ergo adhuc ante sum-  
 ptionem judicant jam esse in hostia  
 Corpus Christi.

Deinde ministri Lutherani, nullam  
 possunt adducere rationem, ex Insti-  
 tutione Christi, cur potius per sum-  
 ptionem, quam per consecrationem  
 eucharistiæ, fiat Corpus & Sanguis  
 Christi. Nec secundò possunt assigna-  
 re certam partem sumptionis, in qua  
 incipiat esse Corpus, & Sanguis Chri-  
 sti. Habet enim diversas partes hæc  
 sumptio, uti sunt porrectio Eucharis-  
 tiæ, illius ad os sumptio, per guttur in  
 stomachum trajectio, & in ipso sto-  
 macho retentio, & in hoc puncto  
 nun-



nunquam inter se valent convenire:  
Pastores Lutherani.

D V B I V M V.

**B**ona opera cum fide sunt ne-  
cessaria ad salutem & vel tantum  
solâ fide salvamur sinè bonis operi-  
bus? si solâ fide, ad quid profunt verba  
Christi, *date, dabitur vobis? vel dum me  
vidistis esurientem saturastis me, itine-  
rantem accepistis me.*

*Responsio Catholica.*

**B**ona opera cum fide sunt necessa-  
ria ad salutem, & solâ fide sinè o-  
peribus non salvamur.

Probatur Responsio Primò. S. Ja-  
cobi cap. 2. v. 24. *Ex operibus justifica-  
tur homo, & non ex fide tantum.* E. v. 14.

*Quid proderit si fidem solam quis se ha-  
bere, opera autem non habeat: nunquid*

poterit fides salvare illum? Nequaquam. Item I. ad Corint. 13 v. 2. *Si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et ad Gal 5. v. 6. Paulus requirit quidem ad salutem fidem, sed talem, quæ per charitatem operatur. Præterea DEUS per Scripturas Sacras non tantum fidei adpromittit remunerationem; Sed etiam aliarum virtutum actibus. Ut ex. gr. pænitentia: *Pœnitimini igitur, & convertimini ut deleantur peccata vestra.* Act. 1. v. 19. 2. *Eleemosynæ. Date Eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. v. 41. 3. *Spei. Omnis qui habet spem in eo, sanctificat se,* 1. Jo. 3. v. 3. 4. *Charitatis Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* Luc. 7. v. 42. *Et charitas cooperit multitudinem peccatorum.* I. Petri 4. v. 8. 5. *Observatione mandatorum: Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* 6. *Misericordiæ. Misericordiâ*



*& veritate redimitur iniquitas. Prov.*  
*16. v. 6. 7. Denique aliis quoque bonis*  
*operibus. Et qui bonum egerint, ibunt*  
*in vitam eternam. Demum clarissime*  
*id ipsum patet ex citato à Domino*  
*Dubitante textu Matth. 25. Esuri vi*  
*enim & dedistis mihi manducare, siti vi*  
*& dedistis mihi bibere: hospes eram, &*  
*collegistis me &c. Tunc dicit illis: Veni-*  
*te Benedicti Patris mei, possidete para-*  
*tum vobis Regnum à constitutione mun-*  
*di: In quo textu observanda est parti-*  
*cula enim quæ significat hîc idem ac,*  
*propterea, sive quia. Ita ut sensus sit*  
*quia hæc Opera misericordiæ fecistis,*  
*idè possidete paratum vobis re-*  
*gnum. Et confirmatur hic sensus ex*  
*contextu sequentis v. 41. Tunc dicit*  
*& his qui à sinistris erant: discedite à*  
*me maledicti in ignem æternum. Esu-*  
*ri vi enim & non dedistis mihi mandu-*  
*care &c. Sicut igitur in hoc sequenti*  
*textu illud enim accipitur pro propte-*

*rea*

*rea & quia*, ita ut sensus sit, *quia* hæc opera misericordiæ non fecistis, ideo ibitis in ignem æternum, ita & in priori textu, quia hæc Opera misericordiæ fecistis, possidebitis Regnum. Observant etiam SS. Patres circa hunc textum: Quòd Judex ille supremus non sit dicturus: Quia credidistis, possidebitis regnum; neque quia vos non credidistis, ibitis in ignem æternum. Unde colligunt hoc Judicium intelligendum esse de fidelibus, non de infidelibus, nam de illis alibi dicitur: *Qui autem non crediderit, jam judicatus est*, I. Joan. 3. v. 18.

## D V B I V M VI.

**S**Acerdos Lutheranus potestne me ab omnibus peccatis meis realiter absolvere, & remittere mihi peccata juxta illud dictum Salvatoris JESU Christi: *Quidquid ligaveritis in terra, erit*

*eris ligatum & in Cælis, & quidquid remiseritis in terra, eris remissum & in Cælis.*

### *Responsio Catholica.*

**R.** PRædicantes Lutheranos neminem posse absolvere à peccatis; Quia non habent hanc potestatem: Hæc siquidem potestas conferretur in consecratione Sacerdotis, ab Episcopo, quæque ab alio Prædicante vel communi Sacerdote conferri non potest. Lutherus autem non fuit Episcopus, ergo suis non potuit conferre hanc potestatem, & consequenter nec illius successores aliis prædicantibus. Et ratio est, Quia hæc potestas data est Apostolis, qui omnes, emanant constituti à Christo Episcopi, & ab his aliis Episcopis succedentibus usque ad præsens tempus. Unde & ipsi Magdeburgenses centuriatores  
 (Lut-

(Lutherani) i. Lib. 2. Cap. 2. fatentur primos Episcopos post Apostolos, ab Apostolis & non ab aliis esse constitutos. Et ab his iterum alios. Unde deduco clarè, Prædicantes non esse Sacerdotes. Quia duplex potestas, nempe potestas conficiendi corpus, & sanguinem Christi & potestas remittendi peccata, veris Sacerdotibus competit vi ordinationis factæ à consecratis Episcopis. Has vero potestates non accipiunt prædicantes, cum non ordinentur à consecratis Episcopis, qui hanc potestatem conferendi accepissent ab aliis iterum Episcopis, continuatâ seriè usque ad ipsos Apostolos. Ergo. Et tandem concludo occasionaliter Gravissimè decipi populum Lutheranicum à Prædicantibus : dum eidem persuadent se illis distribuere Eucharistiam sub utraque specie juxta institutionem Christi. Cum enim non habe-

ant

ant potestatem conficiendi corpus,  
 & sanguinem Christi, sub neutra in-  
 dem distribuunt corpus & sangui-  
 nem Christi, sed solum nudum pa-  
 nem, & purum vinum illis porrigunt.  
 ô cœcitatem!

Confirmatur. Quia nec ipsi Prædi-  
 cantes Lutheranæ factâ confessione  
 generali seu incommuni, à volenti-  
 bus Communionem sumere, præsu-  
 munt dicere: absolvo vos à peccatis.  
 Sed dicunt: Ego quoque *annuncio* vo-  
 bis remissionem peccatorum. Ergo  
 fatentur se non habere potestatem  
 remittendi peccata, sicut internun-  
 cius Judicis ad Reum, si Reo nuncia-  
 ret: remissum ei esse debitum, vel  
 condonatam culpam & pœnam à Ju-  
 dice. Ex eo non posset argui, quòd is  
 habeat potestatem remittendi Reo  
 debitum, vel eidem condonare cul-  
 pam aut pœnam, sed solum inter-  
 nuncium esse. Ita in præsentî casu. Et  
 qui-

quidem hic. Dubitans fuit contentus  
 his Catholicis responsis, quid autem  
 ipsi Prædicantes responderint ei ad  
 hæc ejus dubia, necdum rescire po-  
 tui. Crediderim quòd vel nihil, vel dis-  
 convenientissimè tam inter se, quàm  
 ad propositam materiam. Interim  
 spero hunc Dubitantem, cum sit ho-  
 mo prudens ac literatus per DEI gra-  
 tiam, brevi se publicè declaraturum,  
 Ecclesiæ Romanæ Catholicæ & Or-  
 thodoxæ, esse verum membrum, &  
 genuinum filium S. Matris Ecclesiæ à  
 Christo institutæ, & per Apostolos  
 propagatæ. Cujus exemplum utinam  
 sequatur uniuersa Hungaria, & præ-  
 sertim Nobilitas, cujus statûs, hic Du-  
 bitans est. Amen.

Ita fiat.

○. A. M. D. G.



contenus  
id autem  
int ei ad  
fcire po  
vel dil  
e, quàm  
nterira  
si fit ho  
DEI gra  
aturum;  
& Or  
rum, &  
cclesie à  
poltelos  
tinam  
& præ  
hic Du











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

**TIFFEN** Gray Scale © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W		G		K			C	Y	M			





